

R.do P.ri Joanni Paulo Gozani Visitatori Missionum Societ.is JESU in hoc Oriente,

Examen examinis,

seu Responsum ad scriptum Censoris Anonymi, sub titulo Examen aliquot Propositionum ad R. P. Superiorem PP. Gallorum.

R.de Per. Quo R. V.a possit facilius de scripto Adversarij, et de præsenti Responso convenientius judicium ferre, videntur hîc in capite accurate transcribendæ decem Propositiones in dicto scripto contentæ juxta ordinem, quem ipsi placuit ijs constituere.

1.a

An probabile sit Animam Christi fuisse creatam ab initio?

2.a

An sit probabile existere extra Ecclesiam Librum à Deo revelatum, Judæis, ac Christianis incognitum, ac alij populo, aut nationi cognitum, perpetuoq. usu tritum?

3.a

An probabile sit in libris Ecclesiæ incognitis, et apud infideles usu tritis haberi posse notitiam nostrorum mysteriorum, et quidem tam claram, quàm reperitur in libris Sacris?

4.a

An probabile sit antiquissimis temporibus non nullos alterius nationis Principes victimam sacrificasse Deo uni, et Trino?

5.a

An probabile sit fuisse inter gentiles aliquem Auctorem, aut Scriptorem, qui suo libro totam nostram Religionem multis ante Christum sæculis expresserit?

6.a

An probabile sit creationem Angelorum, peccatum, ejusq. tempus, ac cætera hujusmodi distincte ac singillatim contineri in libris Gentilium antiquissimis?

7.a

An probabile sit ex ijsdem libris erui annum, quo peccavit Adamus, similesq. circumstantias?

8.a

An probabile sit in prædictis Gentilium libris fieri distinctam mentionem triplicis status Innocentiæ, naturæ lapsæ, et reparatæ?

9.a

An probabile sit unum aut plures homines in Sacris Paginis non nominatos, sed ex prædictis Gentilium libris notos, esse figuram Messiæ futuri.

10.a

Dato et non concesso, quod probabile sit Propositiones supra relatas reperiri in dictis libris, expediat illas proponere gentibus, qui ad Christianam Fidem convertendi sunt?

Antequam aggrediar examen decem Propositionum supra relatarum, et earum criseos ab Adversario factæ. Hîc mihi primum debitæ R. V.æ grates sunt agendæ ob nuperam hujus scripti communicationem suo nomine mihi æquo et prudenti consilio factam, quo esse posset justæ defensioni locus. Quem quidem favorem non potui obtinere a R. P. Dentrecolles Superiore Missionis Gallicæ, ad quem hoc scriptum jam dudum contra me delatum est, licet pro jure meo id mihi viderer debuisse a S.a R.a expectare, cùm ante unum annum videns plurium e Socijs mecum ipsi subjectis animos fervore quodam veluti cæco (absit verbo injuria) injuste in me, et in optimam doctrinam plane ijs ignotam commotos, supplex rogassem, ut si quædam prodirent scripta huic similia, ea ad justam defensionem mihi communicare, ne gravaretur.

Hoc igitur tam justum et benignum R. V.æ consilium me suaviter cogit ad ei cum debita subjectione, et reverentia offerendum breve responsum a me paratum prædicto scripto, quod et si à capite ad calcem non nititur nisi generalibus, et nullius ponderis rationibus, debuisset a me, ut meretur, prorsus contemni: nihilominus quia ejusmodi scripta saltem apud eos, qui non nisi rerum corticem attingunt, plurimum officiunt optimæ, purissimæ, et summi momenti doctrinæ, novaq. afferre possunt impedimenta Sinarum conversioni, hujus scripti futilitas mihi visa est præsenti responso demonstanda, quo R. V.æ facilius statuere possit.

1.o Num ejus Auctor (qui veluti Doctoris ac Censoris authoritatem sibi arrogando, oppugnat, carpit, et damnat ut erroneas in fide et ut periculosas novitates, necnon Ecclesiæ injuriosas su-

injuriosas supra relatas Propositiones, plerasque diversimode jure, an injuria mihi attributas solitas, easque ut tales detulit ad meum Superiorem :: num, inquam, ejus Autor effugere possit notam hominis rei Leviori examine, et Lance iniqua ponderantis.

2.° Num ~~ejus Autor~~ consilium illud, quod cum aliquot Sociis, qui longiorem, et feliciorem operam in librorum Sinicorum studio collocarunt, suscepi, Sinis scilicet demonstrandi ex suis libris canonicis, et antiquis traditionibus veritates Christianas, haberi debeat pro erroneo in fide, et pro novitate periculosa in hac Missione, et Sanctæ Ecclesiæ injurioso: num potius non hæc sit ipsissima, et nunquam satis laudata methodus, quam Venerandus Pr. Riccius hujus Missionis fundator, sequutus exemplum Apostolorum et SS. Patrum, et Divino, ut credo, Spiritu afflante, primus è Missionariis felicissimo semper cum successu adhibuit, omnibus subinde tam salutarem Sinas ad fidem facillime adducendi viam certatim sectantibus.

3.° Num è contra Autor censuræ decem Propositionum, quæ tota videtur eò collimare, ut sanctam et eximiam illam methodum funditus evertat, se ipsum valde suspectum faciat, palamque videatur imbutus opinionibus Recentiorum illorum Doctorum Sorbonicorum, qui Parisiis ante aliquot annos Socii sui Dni Maygrot contra Societatis nræ Missionarios tuendi gratiâ, hoc Sacræ Scripturæ textu: Notus in Judæa Deus: imprimis abutentes, veri Numinis notitiam cæteris gentibus fervido sed inane conamine eripere velle visi sunt.

4.° denique, num novus hic Censor in hoc controversiarum genere, notitiam certe non parvam exigente, antiquitatum omnium Nationum, maxime Sinarum, in quo se plane novitium, et penes novum ostendit, debuerit hic se erigere in caput, ut tamquam alter Episcopus Cononensis, novo molimine bellum inter nos domesticum suscitaret, et quidem toti Missioni longe magis perniciosum priori, quod acerrime hic decertetur pro eripiendis omnibus Missionariis mediis omnium aptissimis ad suadendas toti Imperio Sinico præcipuas maxime difficiles et necessarias Legis Christianæ veritates.

Sed quò arma, quibus tutò tecti prodimus, certius retundant imbellia Adversarii nostri tela, totamque ejus bellicam machinam dejiciant, unicum firmè contra eum Autorem producam pro invicta causæ a me susceptæ defensione, ne videar eum velle obruere non tam rationum pondere, quam multitudine Autorum cujuslibet Nationis, ætatis, aut Ordinis, quorum singulorum testimonia facile esset hic instar aggeris adversus eum congerere: nam cum ille unicus, quem in tanto numero selegi, instar unius brevis voluminis limites, et antiquissimis, certissimisque omnium nationum sacris traditionibus, triplicis Legis, Naturalis, Mosaicæ, et Evangelicæ identitatem quoad dogmata cardinalia ubique terrarum ab initio perpetuo conservata invicte demonstraverit; solus esse poterit pro exercitu integro.

Porro hic Autor, qui fuit Gallus, Canonicus Regularis et Pastor in Ecclesia S.ti Stephani Parisiensi (Nomen Autoris est R. Pr. Paulus Beurier): hoc suum opus dicatum ~~fecit~~ voluit Omnibus viris Apostolicis S.æ Dei Ecclesiæ Ministris et veris Christi Missionariis &c. sub hoc titulo Speculum Christianæ Religionis in triplici Lege &c. Illudque edidit Parisiis anno 1666. cum approbatione trium præcipuæ notæ Doctorum Sorbonicorum (inter Approbatores 1.us est Dnus Grandin vir supremi ordinis in Theologia et puritate doctrinæ Catholicæ. In formula suæ approbationis sic loquitur: Legi librum, qui inscriptus est: Speculum Christianæ Religionis in triplici Lege &c., in quo nihil a me deprehensum, nisi quod cum fide ac Religione ac bonis moribus recte consentiat), quarum una prodiit ex ipso Seminario pro conversione Infidelium tunc recens erecto: ipsomet Autore tunc cogitante de Missionibus Orientalibus, et venire satagente cum primis Episcopis et Clericis Gallis, qui circa hoc tempus ex Europa solverunt. Quam ob affinitatem Censor noster, ut pote manifeste favens opinionibus DD. Clericorum Gallorum (opinor contra intentum) debet tanto magis Autoris prioris Galli auctoritatem revereri.

Nunc ut cum claritate, procedamus in examine singularum Propositionum, et crisis, earum ab Adversario prolatæ, quatuor hic præmittenda sunt, quorum notitia videtur pernecessaria ad elucidationem præsentis controversiæ. 1.m est de triplicis Legis Naturalis, Mosaicæ, et Evangelicæ identitate, seu de universalitate Ecclesiæ Christianæ. 2.m de Cabala, seu arcana traditione præcipuorum Religionis Mysteriorum ubivis gentium. 3.m de secta Sinica Philosophorum Ju Kiao dicta. 4.m denique de Libro yě Kim, et ejus Autore. De quibus singulis hic primo agendum totidem brevibus paragraphis.

§.us 1.us

De —

De identitate triplicis Legis Naturalis, Mosaicæ, et Evangelicæ, seu de universalitate Religionis Christianæ.

Quantumque diversitas semper ab omnibus observata sit inter Legem Naturalem, Mosaicam et Evangelicam quoad accidentia et circumstantias: nihilominus certum est nihil inter eas esse discriminis quoad substantiam et veritates essentiales: atque hoc eruditè, fusè, et singillatim demonstratum est ab Autore Speculi Religionis Xtianæ supra laudato, qui toto hoc suo opere clare ostendit præcipua, et cardinalia Religionis Xtianæ dogmata omni tempore ubique terrarum fuisse cognita. Quare ex eo paginas integras excerpam, easque pro locorum exigentia hic et infra ad verbum transcribam. Et quia quæ leguntur in capite quarti libri dicti Speculi Religionis Xtianæ plurimum conferre possunt ad ~~elucidandam~~ elucidationem hujus 1.i §.i, ea hic primo loco allegabo.

Josephus testatur Seth construxisse duas columnas, in quibus insculpsit Prophetia, et Religionis dogmata.

Licet (inquit Autor Speculi loco citato ex Augustino tr. 45. in Joan.) tempora varia sint, non tamen fides; quia eadem fides utrosque conjungit et eos qui crediderunt Christum venturum, et eos qui jam venisse crediderunt, diversis quidem temporibus, sed utrosque per unum fidei ostium, id est Christum, videmus ingressos. Hinc D. Paulus ad Hebr. c. 13. Veri Jesus Christus heri et hodie ipse, et in sæcula. Et Ecclesia, ut pergit Augustinus, quæ peperit Abel, Noe, et Abraham, et ipsa peperit Moysen et Prophetas, et quæ istos ipsa Apostolos, et Martyres nostros, et omnes bonos Christianos, omnes quidem diversis temporibus nati apparuerunt, sed societate unius populi continentur, et ejusdem Civitatis Jerusalem, quæ est Ecclesia.

Autor Speculi l. 2. c. 11. refert ex Genebardo, et Novarino, quod anno salutis 1374. inventa fuerunt ossa ingentia quasi gygantis in valle Josaphat in sepulchro lateritio. Sacerdos longam habens barbam, et capillos capiti adhærentes. Sepulchrum erat cum titulo insculpto litteris hebraicis his verbis: Ego Seth tertio genitus filius Adæ credo in Jesum Xtum filium Dei, et in Mariam Virginem Matrem ejus è meis lumbis venturos.

His relatis ex S.to Augustino, Autor Speculi sic prosequitur. Hæc est ergo vera unicaque Religio Xtiana, quæ Catholica dicitur, quia est universalis ratione omnium temporum et locorum: nam sicut ubique terrarum iidem fideles credunt mysteria à Deo revelata, ita ab ipso mundi exordio eadem credita sunt in lege naturali a Sanctis Patriarchis, imo ab ipsis Philosophis, et Gentium doctoribus, licet non ita explicite; et in lege Mosaica a Prophetis et Judæis, ut hodie creduntur a veris Xtianis.

Similiter cap. 9.° libri 2.i citato hoc textu Apocalypsis: Vidi Angelum volantem per medium cœli habentem Evangelium alterum. Idem Autor hinc infert, unicam ab ortu mundi fuisse Religionem et eamdem unicam duraturam usque ad finem mundi, quia scilicet est unicum Evangelium, de cujus observatione, vel transgressione judicandi sunt homines omnes, qui purgati sunt in Sanguine testamenti æterni, et agni immaculati qui occisus est ab origine mundi, id est in figuris. Deinde eamdem Religionem ad ipsos Angelos extendens ait: Imo ab ipsis Angelis Christiana Religio videtur cultu observata, in quantum Christum crediderunt, et adoraverunt venturum iuxta illud 1.æ Ep.æ Pauli ad Timoth. Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus. Nec solum Xtus apparuit Angelis; sed etiam ipsi de plenitudine ejus acceperunt gratiam suam secundum mentem SS. Patrum in primis S. Aug., ex omnibus hominum sustrium tribubus, et Angelorum legionibus unicam Sanctam Civitatem constantis sub uno capite et Rege Christo Dno.

Autor Speculi l. 2. c. 8. Tandem illa lex naturæ non tantum floruit usque ad legem Mosaicam, quæ ei fuit superaddita, sed etiam usque ad Xtum in omnibus gentibus populis.

Insuper cap. 10. ejusdem libri 2.i, ubi suscepit demonstrandum in lege naturæ fuisse notitiam revelatam dogmatum Legis Evangelicæ, sic loquitur: in lege naturæ Xtiana Religio apparuit, cum Deus pro sua benignitate primis Parentibus, post lapsum Adami Redemptorem promisit Filium suum incarnandum, ut caput serpentis contereret; cum eundem Abrahæ, et aliis Patriarchis repromisit, cum iisdem sub diversis umbris mysteria Trinitatis, et alia designavit, præcipue cum signum aliquod veluti sacramentum primæ originalis culpæ purgativum præscripsit &c.

Et c. 29. Quicunque meditatus fuerit librum Sethziræ dubitare non poterit, quin arcana Fidei Xtianæ omnia a Deo revelante acceperit præcognita (hic agitur de Abrahamo) plura gymnasia Philosophorum et Theologorum fundavit, quos omnes veram Dei mysteriorum traditionem seu Cabalam docuit tanquam Doctor et Propheta.

Jam delucidis hujus Autoris testimoniis præsentis argumenti veritatem generatim, et inconcusse astruentibus ad firmiorem ejus probationem facile esset ex eodem Autore excerpendo addere innumeras Fidei Xtianæ prænotiones, quas idem Autor in diversis capitibus libri 2.i singillatim exponit extitisse, tum ante diluvium, tum post diluvium apud omnes nationes præcipue in Ægypto, Perside, Chaldea, Arabia, Æthiopia, India, et maxime apud Sinas. Sed cum tam aperta testimonia exarata pateant in libro a 50. ferè annis in lucem tam publicam edito cum Doctorum Catholicorum primæ classis approbationibus, et dicato omnibus viris Apostolicis Christi Missionariis, et animarum Pastoribus, cui nemo hucusque contradixit, sufficiat ea hic indicasse ad majorem elucidationem propositionis præcipuæ, quam hic demonstrandam suscepi, et quæ videtur summi momenti in præsenti controversia; nimirum omnino licitum esse citra ullam suspicionem novitatis erroneæ, aut periculosæ, et veræ Ecclesiæ injuriosæ credere, et palam proferre Evangelica dogmata non Hebræis tantum, sed et ipsis gentilibus Philosophis non fuisse ignota, eaque etiam nunc reperiri in eorum libris consignata; quidquid contra sentire videatur Censor

noster

Censor noster, cujus scriptum integrum nititur opinione huic opposita et falsa, nenon valdè injuriosa Divinæ sapientiæ, et infinitæ ejus misericordiæ, quæ iuxta SS. Patrum sensum viam facilem, et connaturalem regressum ubiq parare voluit gentibus ad auitam et communem, quam deseruerunt Religionem Catholicam et vniuersalem per Philosophos, et superstites apud ipsos veritatis Euangelicæ traditiones. Interim pergamus ad 2.^m Paragraphum.

§. 2.us

De Cabala, seu arcana traditione Mysteriorum Religionis Christianæ.

Author Speculi l. 2. et sequentibus eruditè disserens de vera, et arcana Sacræ cabalæ scientia, quam a primis Patriarchis per orbem vniuersum propagatam docet; primam ejus originem refundit in Angelos et ipsummet Deum, qui, ut ibi ait, adhibuit Angelos tanquam pædagogos ad docendos SS.^{os} Patriarchas. Hanc porro sic describit ex Reuchlino^x. Post Adæ peccatum cum ipse suum horrendum lapsum deploraret, nudum se videns et erubescens, Deus optimus Maximus in throno majestatis suæ apparuit, eiq sua de incarnando Filio decreta aperiens ad liberandum genus humanu' morti damnatum, eumdem Filium suum ostendens ait: Ecce Adam, quasi unus ex nobis. quæ verba Rebbi^{*} Onkelos chaldaicè sic interpretatur. Ecce Adam vnigenitus meus siue unicus meus in æternitate, et nunc ne mittat manum suam, et sumat de ligno vitæ; non nunc, attamen postea. Quibus verbis Deus Angelis suis duo secreta aperuit. primum de futura Filij sui Incarnatione, quâ debebat fieri nouus Adam humani generis Restitutor: alterum de extensione manus ejus in cruce ad populum contradicentem, id est de passione et morte Christi sui ad saluandos filios Adæ, quod in finibus sæculorum eueniret:

Addit ibidem ex præcipuorum Rabbinorum sententiâ Gabrielem Angelum a Deo missum ad Adam pænitentem, ut eum consolaretur, et ut ipse spem totam poneret in Deum, qui dignaretur de ejus stirpe Filium suum totius generis humani Redemptorem incarnandum concedere, qui quidem et nominaretur Jehouah, vel Jesus, et manus extendens in cruce seipsum offerret Patri hostiam puram in remissionem peccatorum: unde ipse et filij ejus in eum credentes, possent de hoc Salutifero fructu arboris vitæ colligere.

Deinde verò in naturam Sacræ cabalæ, et ejus arcana mysteria exponendi rationem inquirens, cap. 4.° ejusdem Libri 3.^{ij} tradit ex Reuclino jam supra citato, hanc esse scientiam rerum sublimiorum per traditionem acceptam, verbo quidem, non scripto: notant enim Rabbini triplex esse verbum, scilicet mentale, vocale, et scriptum, quod enim sit unicum verbum tripliciter expressum, verè in se distinctum, per illud mysterium adorandæ Trinitatis Personarum in una essentia exprimitur, ita ut verbum mentale Patrem significet in se ipso loquentem: verbum vocale Filium Diuinum, quod ex ore Altissimi prodiuit, per quod facta sunt omnia: verbum verò scriptum Spiritum Sanctum, per quem Lex Dei scripta est in tabulis cordis nostri.

Demum veniens ad rationem exponendi arcana hujus sententiæ mysteria, quam rationem agnoscit esse triplicem, nempe numerum, scripturam, et verbum: dicit iuxta illos Doctores scripturam esse spiritualiorem verbo vocali, quia illa est objectum visûs, hæc verò auditûs tantum, ipsos verò numeros esse spiritualiores scripturâ, quia magis mentales sunt, videnturq habere quoddam esse æternum saltem ratione Diuinæ mentis, sicut species, et rerum ideæ, ac essentiæ, Licet non quoad realem extra Deum existentiam.

Huic planè consonant ea, quæ idem Author infra cap. 7.° disserit de numeris et mysterijs in ijs contentis; quia, inquit, Deus omnia fecit in numero, pondere et mensura. D. Aug.^{us} ea connotat, omnia ferè Diuinæ Religionis mysteria tum in veteri, quàm in noua Lege sub numeris occultata, et per numeros manifestata esse. Quod ut manifestius fiat Author Speculi ait: notandum cum Nicolao Cusano, quod numerus est rationalis fabricæ quoddam pollulans principium; siquidem mente carentes, uti bruta non numerant; atq adeo numerus est principium eorum quæ ratione attinguntur: unde non mirum si omnia nouit qui nouit numerare. Et Plato ideo, inquit, hominem esse animal Diuinum, et sapientissimum cognouimus, quia numeros cognouerit, quos si remoues a natura hominis, etiam ratio perpetuò peribit. Sed et Pythagoras omnem veritatis inquisitionem in numeris ponens, et Deum, et animas nostras et cuncta quæ sunt in mundo è numeris constare profitebatur, ex quibus arithmethicam sibi constituit omnium scientiarum Matrem. Eamdem doctrinam secuti sunt omnes Orientales Philosophi. Hinc non tantum Pythagorici, et Platonici, sed etiam Si-

x Fuit natione germanus Latinæ græcæ, et hebraicæ linguæ peritissimus, et ob suam scientiam non vulgarem in summa æstimatione apud Imperatores et Principes. obijt initio sæculi 15.^i

* Auctor paraphrasis Chaldaicæ in Pentateuchi, qui ante Xtum floruit in magna æstimatione iuxta Tornich et Galatinum.

^ Autor Speculi l. 3. c. 10. Deus et Jesus Xtus est omnia in omnibus, sicut unitas in omni numero, quia principium, medium et finis numeri habens omnem rationem causæ ad eum.

Idem c. 10. ubi de nomine et numero Jehoua expressi per per nomen JESU, ait: An non vides totam Philosophiam veterum huc reductam:: mysteria numerorum Pythagoræ:: verba mystica Hebræorum huc quoq reducuntur: omnia Philosophorum Sinensium mysteria in numeris abscondita, ut refert Martinius in historia Sinensi. Huc omnis doctrina Cabalistarum de 10. Zephiroth continetur.

sed etiam Sinenses (quod certè intelligendum est de secta Philosophorum, et de doctrina libri Ye^u King, quæ tota nititur arcanis numerorum mysterijs, et eorum ideis symbolicis) omnia mysteria Religionis per numeros exprimebant, et sub ijs occultabant, ne Sanctum canibus jaceretur. Quæ quidem Author Speculi quonam modo tam clarè, et distinctè de Sinis reperiret, nisi ex sententia et relationibus veterum Missionariorum, quos sæpius citat, et qui ista jam longè ante nos præuiderant.

Idem Author ibidem sic prosequitur: Eidem veritati omnes Occidentales Philosophi concordant, cùm essentias rerum numeris similes asserunt: imo et SS. Patres, præsertim Augustinus, Ambrosius Boesius, et alij affirmantes indubiè numerum rerum creandarum animo Creatoris principale exemplar fuisse: atq in numeris exempla indagandarum rerum per intellectum solerter sapientes quæsierunt. Opus est ergo, inquit Boesius, numeris, non his, qui corpus habent; sed qui omnium imparis, parisue generationem, atq virtutem ad perficiendam rerum naturam conferunt.

Certè tota sapientia veterum Hebræorum, quam vocant Cabalam, in numeris recondita est, et in verbis. Unde non est in dubium reuocandum, quin ab ipsis Hebræis, seu à primis Patriarchis numerorum mysteria tam Ægyptij, quàm Mercurius, Pythagoras, Plato, et Sinenses Philosophi, et Bracmanæ acceperint, quod optimè probat Bungus in sua Præfatione de numeris.

Cum his, et alijs ante allegatis concordant quæ eodem lib. 3.° Speculi Leguntur cap. 2. et 4.° 4.° quidem cap.° ubi calabæ originem repetens à primo generis humani parente, hæc habet: Adam docuit Henochum secretarium scientiarum Cabalæ; Henoch verò Noemum; Noe Sem filium, Sem Abraham, Abraham Isacium, Isac Jacobum, et Esau, Jacob Josephum, Esau Jobum, qui obijt anno datæ Legis Moysi in monte Sinai.

Tradunt insuper Rabbini Moysem esse Restauratorem veræ Cabalæ, seu mysteriorum traditionis, quam a Deo per ministerium Angelorum accepit in monte Sinà. Nihil enim est aliud est Cabala, quam Symbolica Theologia, in qua non modo litteræ, ac nomina sunt vocum signa, sed etiam rerum: ex quo conjicere licet omnem ferè Philosophiam Ægyptiorum et Pythagoræ a Cabalistis ortam; Pythagoram verò symbolicum tradendi modum ad græcos transtulisse.

Secundo verò capite, quod est de fundatione Academiarum per SS. Patriarchas post Diluuium, ut fides reminisceret, et traditio seu Cabala seruaretur, ab ipso initio sic loquitur. Quis dubitet S. Patriarcham Noemum egredientem de Arca simul extraxisse monumenta legis antiquæ, ossa Adami, columnas Sethi, et Sacros Henochi, aliorumq Patriarcharum libros; quorum per multos deposuit in Urbe^{*} Cariath Sepher id est in urbe litterarum, et alios filijs suis distribuit, ut nepotes edocerent simul cum Philosophia, verum Dei cultum, a quibus edocti sunt non tantum Abraham, et Patriarchæ, verùm etiam Esseni, Drindæ, Amorræi, ac tandem Pythagoræi.

Porro inter Academias celebres, quas SS.^i Patriarchæ fundarunt, duæ insignes erant, altera in terra Canaan, altera in Theman; quæ autem in Canaan fundata fuit Academia eadem est quæ Cariath Sepher Ciuitas litterarum ~~litterarum~~, dicta autem fuit Dabir, uel oraculum, siue quia Prophetæ illic docebant et dabant oracula Diuina, siue quia in ejus bibliotheca custodiabantur libri Sancti: hujus Academiæ Doctores fuerunt Sem, seu Melchisedech, Heber, Abraham, Isac, Jacob, et quæ Sacræ antiquitatis notitia nos veluti manu deducit in cognitionem veræ originis librorum, et sectæ Philosophorum hujus nationis antiquæ, de quibus præsentibus paragraphis quædam sunt prænotanda

§. 3.

De Secta Philosophorum Sinarum Sû Kiao.

Circa Philosophorum Sinarum sectam satis erit illud obseruare, quod de ea jam a primis Missionarijs Vite obseruatum est, nempe ab ipso tempore confusionis Babylonicæ cum doctrina et moribus ubiq ~~prope~~ prope vniuersum corruptis, genus humanum in varias diuersorum idiomatum nationes scissum est, singulis vias suas vijs Domini Dei et Sanctæ ejus Legi oppositas sectantibus, tunc factum est saluberrimo infinitæ Dei misericordiæ consilio, gentibus ad Sanctam Legem regressum per Philosophos, ut aiunt S. Patres, sapientissimè prouidente, ut sicuti præcipuæ veteris orbis nationes, puta Persæ olim habuerunt suos Magos, suos gymnosophistas aut Brammanes Indi, Celtæ suos Druidas, Sapientes suos Græci; ita remotissimi omnium Sinæ suos pariter haberent Philosophos, qui essent æquè ab Idolis, et cæteris peruersis sectis alieni, religioseq seruarent antiquarum traditionum puritatem.

Et verò quinam è Missionarijs, qui uel labrorum extrema antiquitatum Sinicarū fonte proluerunt, ignorare possunt sectam Philosophorum dictam Sû Kiao, olim secutam esse Legem

Speculum Xtianæ Religionis l. 1. c. 16. Opus naturæ, opus et intelligentiæ, et Sapientiæ infinitæ. Hinc in Scripturis Verbum Diuinum, per quod facta sunt omnia, dicitur fons Sapientiæ, et Sapientia æterna. Et supra c. 2.° notatum fuit præcipua Dei creatoris et moderatoris mundi nomina apud omnes populos, etiam apud Sinas a ratione et Sapientia etymum diriuasse. Ideò Deum omnium rerum Ideas, et rationes in se habere dixerunt Platonici: hæc enim exemplaria rerum omnium, inquit Seneca, Deus habet intra se, numerosq vniuersorum, quæ agenda sunt, et modos mente complectitur. His consentit Laotanus Philosophus Sinensis cùm ait: Tao seu magna ratio creauit &c.

* Notum est omnibus, quicumq antiquitates Sinicas euoluerunt, veteres Sinas redento a SS.^{ij} Patriarchis more, habuisse vrbes nominatim distinctas deponendis vetustis libris, et antiquæ traditionis monumentis seruandis, quas Sinicis Litteris vrbes litterarum appellabant.

Legem naturalem, et totam, quam Confucius hujus doctrinæ Restaurator posteris tradidit legem cum ea plane concordare. Sed quicunque id non dum potuerunt in libris Sinicis per se observare, attendant ad id, quod Auctor Speculi cap. 9. l. 2ª ex historia PP. Martini, Alvarii, Semedo relatione his verbis refert. Neque mirum si in Imperio Sinico tot veræ Religionis prænotiones cernuntur, cum fuerit à SS. Patriarchis fundatum, et longo tempore ab idololatria immune servatum, Sinensibus legis naturæ puritatem observantibus, nempe sub documentis suorum Philosophorum, tunc temporis doctrinæ librorum canonicorum, atque in primis libri yĕ Kim religiosius inhærentium: qui liber cum sit fons totius Philosophiæ et Theologiæ Sinarum Philosophorum, de eo quoque peculiari paragrapho hic agendum.

§. 4.ᵘˢ
De libro yĕ Kim, et ejus Auctore.

Liber yĕ Kim, si ejus naturam intus et extra, hoc est quoad medullam, et corticem consideres totus constat sententiis et figuris arcano mysterio plenis futura æque ac præterita indicantibus. Figuræ quidem quarum structura est omnino Algebrica, totæ nituntur numeris, et brevissimo ac veluti Divino compendio complectuntur præcipuas et magis reconditas Arithmeticæ, Geometriæ, Astronomiæ, Musicesque et totius Matheseos excellentias. Sententiæ verò, quæ omnes constant litteris et characteribus verè Hieroglyphicis sub ænigmaticis exquisitorum symbolorum involucris, continent maxima arcana Creationis et Reformationis mundi, atque adeò profundissima totius Philosophiæ ac Theologiæ mysteria. Uno verbo scientia libri yĕ Kim, quam veluti pro certo habeo, eamdem omnino esse ac sacram SS. Patriarcharum Cabalam, omnia complectitur, et ad omnia se extendit. Atque hæc libri yĕ Kim Idea, quam hic trado pro vera et genuina, non tam mea est, quàm ea ipsa, quam insigniores Doctores inter Sinas Philosophos cùm antiqui, tum moderni unanimiter tradiderunt.

Si verò standum sit judicio veterum Missionariorum, qui ejus et cæterorum librorum canonicorum doctrinæ discutiendæ studiosius incubuerunt, liber yĕ Kim est vetustior ipso Pentateucho, et omnium librorum totius mundi antiquissimus; et ejus doctrina, quæ est basis totius sapientiæ Sinicæ in libris canonicis servatæ, ipsis semper visa est æquè pura et sublimis, plurimumque conformis doctrinæ S.æ Legis. Et licet ex quo antiqui hujus libri intelligentia Sapientum omnium ~~omnium~~ judicio prorsus interiit, sophistarum grex postmodum exurgens ejus signis ac sententiis turpiter abutendo, utrasque ad inanes Astrologorum computus, et superstitiosas sortes, imò et ad magicas artes detorserint, nemo tamen è Missionariis, qui esset in libris sinicis bene versatus quidquam in hoc libro deprehendit, quod esset Divinæ Legi contrarium.

Verum ad pleniorem ejus notitiam aliqua subjungenda sunt de ejus Auctore. Præcipuorum Doctorum Sinarum cujuslibet ætatis sensus unanimis semper fuit, librum hunc arcanum, et mysteriis plenissimum, pro Auctore habuisse Fohi, virum scilicet ingenio, sapientia, et omnium virtutum genere præcellentissimum, circa mundi primordia cœlitus constitutum, ut esset omnium artium, et scientiarum parens, ac universalis totius orbis Magister, Dux, et Legislator. Ideo Chronistæ veteres ei acceptam referunt Institutionem sacrificiorum, et rituum veterum ad cultum Divinum spectantium, quæ si diligentiori examine perpendas, in iis omnibus reperies miram admodum cum sacrificiis et cæteris ritibus sacris legis Mosaicæ conformitatem.

Sed ~~pariter~~ præter Sinas Doctores, liceat etiam super hoc consulere Doctiores inter Missionarios Europæos, vel potius Auctorem Speculi, qui videtur eorum mentem ritè perspexisse, et eos passim citat. Prædictus Auctor l. 2. c. 29. ubi agit de prænotionibus Christianæ veritatis apud Sinas, et nominatim de ipso Fohi, de eo hæc refert valde notatu digna. Fohius ille est, inquit, quem ferunt magnis virtutibus ornatum, Astrologiæ peritissimum, et inventorem 64. figurarum mysticarum, quas observaverat in Draconis clam prodeuntis dorso, aliorumque sinensium characterum, qui quidem ad Symbola Ægyptiorum accedebant. Quis dubitet Fohium fuisse unum ex Filiis vel Nepotibus Sem, imò ipsemet Sem, qui vixit 500. annis post diluvium. Potuit hoc Regnum Sinicum fundare, ut et alia, cum enim fuerit per 500. annos Summus Pontifex legis naturæ, fortè tamquam pius zelator Divini cultus usque ad ultimos Orientis terminos potuit se transferre, ut Dei veri Religionem ubique prædicaret, præcipuè cùm pater ejus Noe, licet senior, usque ad Italiam se contulerit eodem zelo motus, ut asserunt plerique::: Uterque (Sem, et Fohius) pietate, et virtutibus conveniunt, et Dei cultum instituerunt easdemque Xtianæ Fidei prænotiones tradiderunt. Quidquid sit certissimè constat Sinenses easdem tenuisse veritates de mundi creatione, de productione primi hominis, ejusque casu; de diluvio, de Trinitate, de

Redemp:

de Redemptione humana; de Angelis, et Dæmonibus; de Purgatorio; de æterna remuneratione Justorum et impiorum pœna; et aliis, quas SS. Patriarchæ tenuerunt.

Ex hoc Auctoris Speculi, vel potius veterum Missionariorum testimonio, originem, et doctrinam adeò Sanctam Sinis tribuente, id saltem conficimus Fohium, quem Sinæ pro gentis suæ conditore, et pro Auctore libri yĕ Kim agnoscunt, debuisse esse unum è SS. Patriarchis. Sed si Sinarum, et veterum Missionariorum opinionibus, licet nostras subjungere conjecturas (quare autem non liceret, cùm nullus ante me Europæus tantum temporis impenderit in scrutanda libri yĕ Kim origine, et doctrinâ) dicere non dubitabo cum plerisque è peritioribus Missionariis Fohi fuisse quidem unum è primis Patriarchis, sed antidiluvianis, eumque non alium fuisse, quam S. Patriarcham Henoch. Verum ne prolixior sim, inter speciales super hoc factas à me observationes, quæ sufficiunt ad integram dissertationem, paucas tantùm selegam, quibus hæc mea conjectura, si omnino certa et evidens, saltem valdè probabilis demonstretur.

1ª observatio communis erit Ægyptiis, Arabibus, Persis, Græcis, Sinis, et aliis diversis nationibus, si accuratè inter se conferantur ea, quæ vetustissimi singularum Chronistæ referunt de primis suis Legislatoribus, in iis tanta, et tam exacta observabitur conformitas, quoad qualitatem, officium, munus, res gestas, et ipsam appellationem personarum, ut vir prudens vix possit in dubium revocare, eos non fuisse nisi unicum, et eumdem hominem, nec alium extitisse, quàm S.tum virum Henoch antidiluvianum Patriarcham et Prophetam. singulis prædictis nationibus hujus primi, et communis totius orbis Magistri ac Legislatoris memoriam, unanimiter in capite Traditionum suarum vetustissimarum servantibus, quamvis sub diversis ob diversitatem linguarum nominibus, et de eo eadem prædicantibus, puta quod primus extiterit litterarum, scientiarum, et artium Inventor Hieroglyphorum, et symbolorum parens, sacrificiorum, et omnium rituum sacrorum Institutor, aliaque ejusmodi similia, quæ veteres Sinarum Chronistæ uno ore prædicant de suo primo Legislatore Fohi.

Hinc qui diligentiori studio, nationum antiquitates scrutati sunt, inter quos Kircherus nulli secundus, sagacissimè observarunt Thetsor Hermen, aut Hermanubim Ægyptiorum, * Zeroastrem Persarum, Arabum Idrim seu Adrim, et Mercurium seu Atlantem Græcorum, non fuisse diversas personas, sed unicum eumdemque plurium populorum, non dum inter se sub diversis Monarchiis divisorum (ut divisi sunt post diluvium) primum universalem Regem, et Magistrum, eum nempe, quem Sacri Codices Hebræorum Henochi nomine consignarunt. Cui veritati comprobandæ omissis, ne sim longior, cæteris idoneis antiquariorum argumentis, unicum, meo judicio, validissimum huc adducam ex Kirchero, qui lib. 1. de origine litterarum et obeliscorum probat Adrim, qui idem est Hermes Ægyptiorum seu Mercurius Trismegistus eumdem fuisse ac Henoch. Kircherus porro ibi refert arcaniores Ægyptiorum Astrologos habere pro certo annum civilem Ægyptiorum fuisse divisum in tot dies, quot primus Adris annos vixerit inter homines: at Sacra Scriptura tribuit Henocho 365. annos vitæ, totidem scilicet quot dies erant in anno civili Ægyptiorum. Unde manifestè concluditur Adrim seu Hermen, aut Mercurium Trismegistum eumdem fuisse ac Henoc: quo supposito, ad idem concludendum de Fohi Sinarum Philosophorum Principe, et libri yĕ Kim Auctore, appellationis similitudo, et symbolorum identitas, quibus veteres designarunt Fohi in Oriente, et Mercurium seu Henoch in occidente præbebunt satis competens argumentum; scilicet nostrates occidentales * Hermen seu Mercurium, quem constat eumdem fuisse, ac Adrim et Zeroastrem seu Henoch, ter maximum seu Trismegistum appellabant ob tres præcipuas ejus dotes Regis, Sapientis, et Prophetæ, ipsi cum Fohi communes, ob quas Fohi sortitus est appellationem Tai hao:: quæ non potest exactius in latinam aut græcam linguam verti, quam per has voces termaximus.

Insuper quemadmodum veteres Ægyptii Hermen, seu Mercurium Trismegistum Hieroglyphorum, et Symbolicarum figurarum Auctorem, et Divinæ Legis Assertorem repræsentabant figura symbolica constante capite canino, et corpore humano, ad designandam constantem ejus supra cæteros homines in sectanda veritate sagacitatem, et in Divino cultu fidelitatem: ita veteres Sinæ eodem certè consilio ducti (quis enim prudens id fortuitò contigisse dixerit) suum Tai hao, seu Trismegistum designarunt hoc charactere Hieroglyphico Fo 伏 eodem modo Hieroglyphico, et idem præcisè significante, ut pote constante duplici littera, quarum prior est 犬, quæ significat canem, et posterior 人, quæ significat hominem.

Sed hæc, et alia ejusmodi convenientiæ, quæ hic congeri possent, quantumvis convenientes videntur, meo tamen judicio non habent tantum ponderis, quantum ratio Hieroglyphica et symbolica numerorum, et sententiarum libri yĕ Kim, sub quibus ejus Auctor modo

veluti

Auctor speculi l. 2. c. 29. Henoch est verus Persarum Atlas, qui precibus cœlum sustinuit, ne peccatores fulmine percuteret, ex Kirchero ab Arabibus primus Hermes, et Mercurius vocatus.

* In Chaldea, Arabia, Perside, sapientes et Doctores Magi dicti sunt:: agnoscunt suæ sectæ et professionis primum Auctorem Zeroastrem, idest hominem viventem in altis, quem plerique volunt fuisse Henochum, quem ideo etiam primum Trismegistum vocant Arabes, qui de ejus magisterio per libros et obeliscos gloriantur. Eumdem asserunt primam Bibliotecam fundasse in Cariath Sepher, quam postea Noe, et Sem post diluvium restaurarunt. Eumdem Græci Athlantem esse credunt. Ita Auctor Speculi l. 2. c. 15. ‡.

D. Herbelot in sua Bibliot. Orient. voce Hermes refert ex vetustis Arabum traditionibus eum, qui primus hoc nomine insignitus est vixisse circa initium 2.di milliarii ab orbe condito, et eum eumdem fuisse ac Adris, aut Henoch, qui a Chaldæis appellatus est Omiai, et Douanai.

Certum etiam est Henochum fuisse vocatum Trismegistum Hermetem, et Zeroastrem. Ita Auctor Speculi l. 2. c. 16. ubi de Zeroastre Principe Magorum. qui plura super his desideraverit consula Kircherum in Ægypti et in obelisco Pamphilio.

veluti prophetico, et Sacræ SS. Patriarcharum Cabalæ proprio occultè, et ænigmaticè tradidit sublimiora Legis Xtianæ mysteria, ut jam cœpimus, et pergemus, Deo dante, funditus demonstrare. Quapropter si arcana hæc doctrina libri yĕ Kim accuratè conferatur cum Ratione Sacræ Cabalæ, seu sententiæ symbolicæ, et Hieroglyphicæ numeris et figuris simili mysterio plenissimæ, ac præcipuos mundi eventus, tam præteritos, quàm futuros attingentis, quam a S.° Viro Henoch Patriarcha et Propheta ante diluvium traditam esse, tamquam à primo, et universali totius orbis Magistro certissimum est: non male concludemus hunc eumdem fuisse ac Trismegistum Sinarum Fohi; atq adeo verum extitisse Auctorem libri yĕ Kim: nisi tamen hujus libri ænigmatici omnium sanè, qui toto orbe asservatur, vetustissimi, prima origo refundenda potius videatur in ipsum primum generis humani Parentem, dicamusq Henochum hunc ab ipso, sicuti cætera ad Religionem, ad litteras, et alias artes, et scientias pertinentia accepisse, quod multo verosimilius esse intelliget quicumq contulerit modo expositam libri yĕ Kim Ideam, hoc est tum ejus tabulas ænigmaticas, tum arcanam doctrinam sub iis latentem, cum iis, quæ Auctor Speculi L.2.° c.12. refert ex præcipuis Hebræorum traditionibus his verbis sanè dignis quæ legantur cum summa attentione.

Certissimum est Adamum ab ipso Deo edoctum omnes scientias, sive cognitionem rerum naturalium, ac etiam supernaturalium, quæ ad salutem suam et filiorum per infusionem accepisse per ministerium Angelorum credunt Hebræi: hujus enim inventum (inquit Suidas Adam) sunt artes, et Litteræ; hujus sunt scientiæ tam disertæ, quàm mutæ; hujus sunt vaticinationes, sacrificia, lustrationes, Leges, et instituta; hujus sunt omnia inventa omnes doctrinæ. Unde etiam ex Kirchero in Obelisco, plures Arabes et Rabbini Judæorum testantur Deum cum ipso familiariter fuisse conversatum, sicut postea cum Moyse, eiq dedisse tabulas (num hæc clarè alludunt ad tabulas libri yĕ Kim) propria manu descriptas, in quibus ipsemet perlegit legem, et cæremonias, ~~in quibus ipsemet~~ Religionis, originem, et finem Regnorum, diluvia et alia id genus futura, et ipso Deo jubente rescripsit in pellibus animalium, sicq composuit primum librum mundi, de quo Genesis 5. Hic est liber generationis Adam. Atq hæc de libro yĕ Kim, et ejus Auctore modo sufficiant.

Præmissis iis, quæ superioribus quatuor paragraphis breviter disseruimus de identitate triplicis legis, de Sacra SS. Patriarcharum Cabala, de secta Philosophorum Sinarũ, et de libro yĕ Kim, ejusq Auctore, quæ lucem ingentem afferre debent præsenti controversiæ, jam facile est statuere quid sentiendum sit de decem Propositionibus in scripto Censoris anonymi recensitis, et de singularum crisi ab eo facta, quas Deo dante brevi constabit non debuisse enuntiari eo modo, quo fecit: multo minus mihi aut Sociis meum sentientibus exprobrari, et damnari, ut periculosas novitates, injuriosas veræ Ecclesiæ, et erroneas in fide. Quod Adversarius haud dubie non fecisset, si habuisset notitiam minus confusam tum mearum opinionum, tum aliorum Sociorum, mecum circa doctrinam yĕ Kim ritè sentientium, aut certè si non esset tam peregrinus in notitia antiquæ et universalis traditionis circa præcipuas veritates Christianas, cujus defectui utcumq supplere volenti hæc mihi visa sunt præmittenda ad elucidationem eorum, quorum defuit cognitio necessaria, quâ patefactâ, quantum opus erat, nunc ad examen nostrum evocemus decem propositiones in scripto Adversarii nostri relatas, et censuram singularum ab eo factam; at ut earum discussio clarius et brevius procedat, liceat earum ordinem invertere, eas scilicet, quæ magis inter se affines videbuntur simul conjungendo; et omnium primam, ut à cæteris magis sejunctam in ultimum locum rejiciendo. Hinc cum tres, quæ in scripto Adversarii recensentur n.° 2.° 3.° et 5.° multum inter se habeant affinitatis, eas simul collectas in sequenti paragrapho conjunctim perpendemus; deinde pergam ad cæteras, singularum ordine pariter immutato.

§. 5.us

Hic discutiuntur tres sequentes propositiones cum earum censura.

II.a An sit probabile existere extra Ecclesiam librum a Deo revelatum, Judæis ac Christianis incognitum, ac alii populo aut nationi cognitum?

III.a An probabile in libris Ecclesiæ incognitis, et apud Infideles usu tritis haberi posse notitiam nostrorum mysteriorum, et quidem tam claram, quam reperitur in libris Sacris?

V.a

V.a An probabile sit fuisse inter gentiles aliquem Auctorem aut Scriptorem, qui suo libro totam nostram Religionem multis ante Christum sæculis expresserit?

Super his et reliquis Propositionibus, quæ ferè omnes verbis valdè generalibus sunt expressæ, generatim observandum 1.° Licet earum Censor videatur me in primis oppugnare cum cæteris è Missionariis Societatis nostræ, qui veritates evangelicas Sinis ex suis libris canonicis et vetustis traditionibus demonstrandi, consilium meum susceperunt: nihilominus quia cum suo nomine simul reticet nomen tum Scripti, tum Auctoris, unde eas excerpsit, et singulæ prout jacent, sint valdè diversæ a meis, et Sociorum opinionibus, dici potest hoc belli genus videri veluti merè aereum et inane, atq adeo nostri Adversarii tela neminem posse offendere, nisi fortè in eorum mente, qui sicut ille geminos nostros sensus ignorantes, similia nobis affingunt, et ideo belli nobis valdè injuriosi strepitus sine causa concitant.

Observandum 2.° respectivè ad tres propositiones in capite hujus Paragraphi simul collectas, quibus singulis Censor noster respondit negativè, damnans 3.am tamquam plenè injuriosam veræ Ecclesiæ, et parum dignam Theologo Catholico. 5.am verò tamquam ita evidenter erroneam, ut nulla magis, et ut repugnantem veræ Catholicorum doctrinæ. Observandum, inquam, hujus censuræ aculeos non nisi auram inanem impetere, meq ab ejus ictibus esse planè immunem. Quod ut palam fiat Lector dignetur quæso attendere ad ea, quæ supra exposita sunt paragrapho 4.° de origine et Auctore libri yĕ Kim, ubi veterum Missionariorum vestigiis insistendo conatus sum ostendere Fohi verum libri yĕ Kim Auctorem fuisse unum è Sanctis Patriarchis; atq adeo hunc librum fuisse fœtum Legis naturalis in sinu veræ Ecclesiæ conceptum. Attendat pariter cum debita diligentia ad ea, quæ ibidem a me allegata sunt ex Auctore Speculi in fide veterum Missionariorum Sinensium, sic loquente = Certissime constat Sinenses easdem tenuisse veritates de mundi creatione, de productione primi hominis, ejusq casu, de diluvio, de Trinitate, de Redemptione humana, de Angelis, et Dæmonibus, de Purgatorio, de æterna remuneratione justorum, et impiorum pœna, et alias, quas SS. Patriarchæ tenuerunt.

Quæ certa sunt, vel saltem valde probabilia; et si reverà constat præcipuas legis Xtianæ veritates notas fuisse Sinensibus, quod innotescere non potuit, nisi per libros eorum classicos: Et si reverà easdem in dictis libris clarè et distinctè deprehendimus, quid vetat id a nobis affirmari, agendo pro Sinis infinitas Divinæ misericordiæ grates, quod tam pretiosa Sacræ traditionis monumenta et media ad eorum conversionem tam propria per tam longam sæculorum ~~secula~~ seriem apud ipsos servaverit. Et quis æquus ac prudens rerum æstimator crimini vertere potest id a nobis asseri? Quid in hoc asserto argui potest tamquam novitas periculosa, ut erroneum in fide, ac indignum Theologo Catholico, aut veræ Ecclesiæ ~~[illegible]~~ injuriosum?

Fides et Theologia Catholica docent quidem cum Apostolo Ecclesiæ credita esse eloquia Dei, sed non eo sensu, quo Censor noster manifestè abutens verbis Apostoli videtur intelligere: catholicus scilicet, et fidei conformis sensus est, nullum librum, ut verè sacrum posse, vel debere pro tali haberi, nisi præcesserit examen, et judicium veræ Ecclesiæ, et illum agnoscentis, et decernentis pro verbo Divino, et pro certa, ac indubitata fidei regula: quod cum non speremus posse contingere libris Sinarum canonicis, in quibus plurimas alterationes à traditionum puritate, seu temporis diuturnitate, sive longo gentilium usu irrepsisse dubitari omninò non potest: si Censor noster existimavit (ut videtur existimasse in triplici propositione supra citata, et ab eo pro arbitrio enuntiata) me, et Socios venditare librum yĕ Kim, et alios libros canonicos, tamquam libros verè sacros, et qui sint indubitatæ fidei regula; certè mihi et illis fecit insignem injuriam: et de hoc non possum non conqueri tamquam de calumnia gravissima. Sed si nihil aliud carpsit, quàm quod audeamus affirmare, in prædictis libris à nobis cum plena claritate unanimiter deprehensas plerasq, et proprias veritates Evangelicas, cùm nihil in hoc affirmemus, quàm quod infra a nobis clarissimè, Deo dante, demonstrabitur, et quod multò antè nos SS. Patres olim de aliis gentilibus Infidelibus, et veteres Missionarii Societatis nostræ de iisdem Sinarum libris affirmarunt, et post illos alii Scriptores, atq in primis Auctor Speculi a me supra ideo allegatus, cujus opus prodiit cum approbatione Doctorum 1.a classis, et dicatum omnibus Missionariis, et viris Apostolicis, nemine ab uno sæculo dimidio huic contradicente: certè Censor non debuit, nec potuit sine gravi injuria idem in nobis arguere, multo minus tam gravis censuræ aculeis configere opiniones nostras, fidei, rectæ rationi, SS. Patrum sententiæ, et communi priorum Missionariorum judicio planè conformes.

Addo

Addo præterea, si liber yě Kim (ademesto judicium de cæteris libris canonicis) habuit revera eam Sanctam originem, quam ei non improbabiliter assignaui; certè fuit olim verè sacer, et certa fidei regula: et quid repugnat vetustissimum hoc sacræ traditionis monumentum usq adhæc tempora inter Sinas SS. Patriarcharum sobolem factam infidelem, etiamnum conseruari, licet cum varijs alterationibus; quemadmodum etiamnum conseruatur in manibus Judæorum vetus Testamentum, et nouum cum antiquo in manibus Hæreticorum? Nonne Kircherus scripsit, non rite memini quo in loco, esse qui asserant libros S. Patriarchæ Henoch etiamnum seruari apud Æthiopes. Et quis in toto orbe Christiano hanc propositionem graui aliquâ censurâ dignam judicauit?

Et sanè, si nullo pacto injuriosum est veræ Ecclesiæ, quod extra ipsam apud Hæreticos, Judæos, aliosq Infideles sacri Codices conseruentur: imo id maximo honori, et emulumento ducit, ex spe certa multos ad unum et idem ovile eorum ope reducendi. cur Sancta et optima fidelium parens fauens cæteris inter Missionarios, qui asserunt librum yě Kim, et alios canonicos Sinarum continere notitiam claram et distinctam præcipuorum legis Xtianæ mysteriorũ, idq se nunc Deo dante, cum plena euidentia demonstraturos sperant; quam spem nequis tanquam inanem derideat, infra primum specimen hujus demonstrationis aggredear, idq Deo fauente sufficiet ad ostendendum quàm immeritò facti sumus rei de consilio tam bono, et utili fidei propagationi.

Auctor Speculi l. 3. c. 35. S. Aug. l. de vera Relig. ait, Platonicos Philosophos facillimè paucis mutatis fieri posse Xtianos. Unde Numenius Philosophus Pythagoreus, quid est, inquit, Plato nisi Moyses, qui loquitur Atticè. Et Ambros. Epist. 20 ait, Pythagoræos cum suo Magistro perlegisse et cognouisse mysteria nostra

§. VI[us]

Expenditur Propositio 4[a], et ejus censura.

Quarta Propositio. An probabile sit antiquissimis temporibus, nonnullos alterius nationis Principes victimam sacrificasse Deo uni et Trino?

Ad hanc propositionem Censor noster respondet negatiuè, reputando tamquam inauditam nouitatem sententiam eorum, qui existimant apud gentiles reperiri traditiones, in quibus est notitia hujus ineffabilis mysterij. Sed ut euidenter pateat quàm grauiter erret, hîc obseruandum 1°. totum ejus ratiocinium niti duplici facto falsissimo. 1[m] scilicet, quo supponit Ecclesiam Judaicam vix ullam illius habuisse notitiam, ut frustra conatur probare ex eo quod (allego ejus verba) Judaicum vulgus ita erat auersum a dogmate S[mæ] Trinitatis, ut parum laborauerit Christus in illo Judæis probando; cùm et post Christum Judæi maximè obstiterint vulgationi tam reconditi dogmatis; non aduertendo, ut debet homo Theologus, Judæos illos, quos pro se adducit, non fuisse tam auersos ab hoc S°. mysterio, nisi quia in hoc, sicuti in multis alijs, ac præcipuè in notitia Diuinitatis Messiæ Redemptoris, certo certius desciuerant à fide avitâ suorum parentum, et veræ Ecclesiæ Judaicæ, quam constat habuisse distinctam notitiam veri Messiæ, seu Dei Redemptoris, quæ supponit notitiam similiter distinctam mysterij adorandæ Trinitatis; cui propositioni non video quomodo vir Theologus possit contradicere.

Auctor Speculi l. 4. c. 5. Totius veteris Testamenti historia est non solum figura, sed etiam prophetia eorum, quæ in nouo Testamento facta videmus cum perfectissima uniformitate.

Altera ~~suppositius~~ suppositio manifestè falsa ex eo oritur, quod oppugnat homines, quorum videtur ignorare sententiam. Supponit enim nos, non nisi in aliquo reperto in Sinicis libris, quod potest esse symbolum SS[mæ] Trinitatis, inferre hoc Diuinum mysterium fuisse olim Sinis cognitum. Male, inquit, ratiocinatur quisquis in libro nationis non Xtianæ etiam antiquissimo reperiens aliquod, quod potest nobis esse symbolum SS[mæ] Trinitatis, ex hoc infert mysterium SS[mæ] Trinitatis fuisse illi nationi antiquitus cognitum &c. At enim euidens est non posse adhiberi hujusmodi symbola, nisi prius cognita aliunde mysterijs hujus veritate atq œconomia. Sed cum Censor rem tam falsam de nobis gratis supponit, quo jure vult ille nos ita ratiocinari, ut ipsi placet sibi fingere sine ullo fundamento.

Atq ut palam fiat quàm falsa et malè fundata sit utraq hæc suppositio hîc juuat proferre quibus nixi auctoritatibus audacter contra ipsum asserimus adorandum SS[æ] Trinitatis mysterium antiquitus notum fuisse non solum Judæis, sed etiam Sinis, et cæteris nationibus, quod licet jam abundè supra præstitum sit, maximè in 1°. §°., ubi ex Speculo Religionis Xtianæ demostrata est triplicis legis naturalis Mosaicæ, et Euangelicæ quoad præcipua et essentialia dogmata, quorum in capite est mysterium adorandæ Trinitatis; operæ pretium erit illud hîc magis speciatim demonstrare, pro quo fere sufficiet eumdem Speculi Auctorem consulere, cui caput 13[m] lib. 4i. (ubi exponit traditiones Philosophorum et Sacrificulorum circa mysterium adorandæ Trinitatis) sic placuit inchoare. Non mediocris erit confirmationis argumentum veritatis Catholicæ, Traditio veterum tum Philosophorum, tum Sacrificulorum, ac proinde omnium gentium circa Trinitatem adorandam; cùm hæc manifestè conuincat ab ipso mundi exordiò eamdem fuisse fidem, quæ nunc est circa præcipua ejus mysteria, sed quasi in aperto euangelicæ meridiei lumine declarata quæ in lege naturæ et in lege Mosaica sub umbris, et figuris occulta, et quasi velata erant, quæ nunc aperte reuelata sunt a Christo D.N.

Certissimè constat SS. Patriarchas primos fuisse SS[mæ] Trinitatis adoratores, ut jam superius dictum est, ubi de Cabala, et de adorando nomine Jehoua egimus, quod et Scripta Sacra testatur Genes. 17. cap. quando Abraham excepit tres illustres Angelos, seu potius Personas vices Diuini Numinis gerentes, ut docet Ecclesia Genes. 18. Tres enim vidit, et vnum adorauit &c.

Addam unum Rabinorum Simeonis, et Jonathæ, qui apud Judæos maximæ sunt auctoritatis, testimonium, quod apertè declarat SS[mæ] Trinitatis confessionem in cap. 6. Isai. Sanctus, Sanctus, Sanctus: sic enim Simeon et Jonathas Rabbini explicant: Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus: At cap. 5°. lib[ri] 3[ii] exponens nomen Dei Tetragrammaton Jehoua, in eo tres Personas adorandæ Trinitatis signari satis fusè ostendit ex Rabbinorum principijs, quibus cum pauci sint assueti, non ea hîc transcribam. Atq ista de Judæis sint satis.

Quoad alias gentes Auctor Speculi ibidem, nempe c. 13. l. 4i. hæc habet: Constat etiam Trismegisti, Pythagoræ, Platonis, omniumq Ægyptiorum, atq Sapientum Græcorum antiquissimam eam esse doctrinam, et quadam lege sancitam de adoranda Trinitate. Proclus enim Platonis Theologiam explicans, asserit ipsum a Pythagoreis eam accepisse, Pythagoram ab Alphemo, et Orpheo, et Trismegistus in Pimandro ait Monadem, seu veritatem genuisse Monadem, et in se ipsum reflexisse ardorem. Chaldæi, inquit Psellus, asserebant unum esse Principium, quod Bonum et Veritatem appellabant, et tamen dicebant tria esse Principia, scilicet Bonum, Mentem, et Animam. Bonum Menti tribuentes, Mentem Filio, Animam Spiritui S°. Idem testatur, ubi de Theologia Assiriorum, eos colere Paternam vnitatem, et in ejus immensa abysso Triadem.

Auctor Speculi l. 2. c. 14 hæc refert ex Pimandro Trismegisto, sic filio respondente. Tacius quærit: dic age, quis est Regnationis Auctor. Trismegistus respondit: Dei Filius homo unicus voluntate Dei

Plato Epist. ad Dion (pergit idem Auctor) de natura primi loquendum est per ænigmata. Sic res se habet. Circa omnium Regem omnia sunt, et ipsius gratiâ omnia existunt, illeq est causa omnium bonorum. Secundum autem circa secunda, et tertium circa tertia. Quæ quidem verba sic exponuntur à Porphyrio l. 3°. Historiæ, Auctore Cyrillo l. 5°, usq ad tres subsistentias, dicit Plato progredi Diuinam Essentiam, et esse quidem summè Deum bonum, post illum autem secundum Conditorem; Tertium verò mundi animam, aquâ vitam mutuantur ~~omnia~~ vniuersa.

Præterea cap. 15°. l. 2i. Auctor Speculi citat Psellum sic loquentem de oraculis Chaldæorũ: ~~verba~~ Venerabantur fontanam Triadem Dei Veritatis et Amoris, dicentes cum Zoroastre, vnitatem extensam esse in duabus Productionibus, et tres Personas ad mundi creationem concurrisse. Omnia sunt producta ex uno igne, quippe cum omnia Pater perfecerit, et Menti tradiderit secundæ, quam primam vocant nationes hominum. Porro testatur Psellus hunc ignem, de quo loquitur Oraculum, non esse elementum, sed Deum, quem scilicet vocamus Spiritum S[m]., et Amorem æternum. Filium autem Dei vocabant Mythram, id est, ut ait Plutarchus Deum Mediatorem.

Auctor Speculi lib. 2. c. 14. ex Jamblico refert oraculum Serapidis. Principio Deus est, tum Verbum, his Spiritus unus est. Cognita hæc tria sunt cuncta hæc tendentia in unum. Quis ergo dubitet veteres Ægyptios veram Dei Religionem exercuisse, et mysteriorum fidei traditionem habuisse de uno Deo, de Trinitate, de futura Incarnatione, et de Matre Virgine

Deinde cap. 17. ejusdem libri, a Chaldæis ad Indos sermonem conuertens, post Maillendum et alios de Brachmanibus, hæc refert: Unicum Deum in vnitate Personarum adorabant, Deum generantem, ac Verbum, et Spiritum Sanctum confitebantur, atq etiam communicationem futuram Filij et Spiritûs Sancti erga nos. Possum hîc profiteri me ante aliquot annos per Indiam transeundo, eadem ac ijs fermè similia me meis auribus audiuisse à duobus Brachmanibus in duobus locis inter se valdè remotis, nempe Surrate, et in Regno Siamensi, a Regio illius loci Mathemathico de Brachmanorum secta.

Quantauis cum claritate jam pateat ex modo, et antea allatis diuersarum nationũ traditionibus apud eas singulas certo extitisse notitiam mysterij SS[mæ] Trinitatis; nihilominus extra dubium est, traditiones de eodem mysterio seruatas apud Sinas esse longè clariores. Sed quia conuenientius est eas infra in alium §[m] rejici; hîc non referam nisi unam aut alteram hujus §i. magis propriam, utpote agentem de Sacrificio uni Deo et Trino. Antiquior dictorum Annalium ad tempus, quo regnauit Imperator Hiao Dynastiæ Han, hæc refert. Antiqui Imp[res] tertio quoq anno adhibebant majores victimas, scilicet tauros ad sacrificandum Spiritui uni et Trino olim a Regibus Sinarum offerri solito quia de hoc agitur speciatim in propositione hîc exponenda.

Vel omnis neganda est fides Sinarum Annalibus, uel est admittendum veteres Sinarum Reges

Sinarum Reges olim sacrificia obtulisse Deo uni et Trino. Ibidem ait praeterea Imperatores olim vere, et Autumno Sacrificare solitos ter maximae seu Trinae unitati cum majorum victimarum ritu. Ubi diligenter observandum 1.° Hunc eumdem Auctorem exponere voces Tai yě Ter maximae unitatis per nomen Xamti, sub quo Sinae verum Deum semper coluerunt. 2.° ex libro Situm Ki hanc appellationem Tai yě esse verum coeli et terrae principium. 3.° iuxta veteres Interpretes illam veritatem Ter maximam vocibus Tai yě expressam comprehendere Triadem, ut patet a textibus proprio charactere in margine transcriptis. Atque ita evidenter patet non tantum probabilitas, sed etiam certitudo clara propositionis praesentis §.i, quam Censor noster (quia nimis peregrinus in notitia antiquitatum, et Sacrae traditionis ubique gentium servata) non dubitavit explodere, tamquam inauditam novitatem, hac formula ei nimium familiari — Apage ejusmodi novitates.

史記漢孝武云古者天子三年一用太牢具祠神三一
史記天官書正義云泰一天帝之別名也
史記漢孝武云古者天子以春秋祭太一東南郊用太牢
禮記禮必本于太一分而為天地
十三經疏云極大曰太未分曰一極函三爲一之理也

Antequam concludamus hunc §.um, aliqua subjicienda sunt de symbolis huic Divino mysterio repraesentando adhibitis, quae hic sub finem de industria rejecimus, ut ex eo ordine Censor noster intelligat methodum veram, quam sequimur proponendi Sinis gentilibus adorandum SS.mae Trinitatis mysterium credendum, primario initium ducere ab ipsorum non paucis et clarissimis de hoc Divino mysterio traditionibus: deinde devenire ad symbola, sub quibus idem mysterium Sanctis mundi Patriarchis olim revelatum, et nationum traditionibus postea consignatum est.

Auctor Speculi (neque enim etiam quoad hoc opus est alium consulere) l. 1.° c. 1.° pro primo Divinae Trinitatis Symbolo, sicuti vetera Sinarum monumenta, profert numerum ternarium, sed in tetractys Pythagorica, et in nomine Dei Tetragrammato ∴ Dominantem: haec sunt ipsius verba: tandem Pythagorici tetractyn, seu quaternarium numerum, tanquam Divinum nomen colebant, quia nomen Dei veteres Cabalystae seu Patriarchae, à quibus fides fluxit in omnes orbis partes, crediderunt esse primam creaturam, per quam Deus, cui ternarium numerum in confessionem Trinitatis tribuebant, se ipsum voluit exprimere.

Quem mysticum numerum, ut veteres Cabalistae in suo tetragrammato distinctius exhiberent, et Sacri hujus nominis characterem perfecte Symbolicum et Hieroglyphicum facerent, illud cum triplici Iod, quae iuxta Rabbinos est optimum litterarum elementum, et optima radix, scribebant hoc modo (יְיָ) neque id tunc voce Iehova, hoc est cum triplici consonante, sed iao cum triplici vocali efferebant; unde veteres Graeci verum Deum similiter hac voce iaco appellabant. Quae mystica et Hieroglyphica appellatio aeque nota videtur fuisse veteribus Sinis, qui supremum Imperatorem Xam ti, designarunt sub figura Sapientissimi, et Sanctissimi Regis Yao trium veterum dynastiarum antiquissimo, Sinis Regem suum yao repraesentantibus cum hoc charactere Hieroglyphico 堯 yao, qui si cum debita diligentia consideretur, videbitur perfectam habere analogiam cum praedicto Divinae Trinitatis Hieroglyphico Hebraeorum (יְיָ), ut plures e Missionariis litterarum Sinicarum peritiores jam a pluribus annis unanimiter mecum adverterunt.

Yao

Ternarii numeri significatione Hieroglyphica ex Hebraeorum et gentilium traditionibus sic stabilita, quis non existimet vulgare hoc adagium Europaeis aeque ac Sinis notum, Deus numero impare gaudet, ex eo certo certius emanasse. Quis non videt innumeros ritus Sacros in Religione ubique gentium ab omni aevo observari solitos, et ternario numero connotatos, non habuisse aliam originem? Quis ergo non inde certa consequentia inferre debeat, non solum Iudaeos olim Deo et uni, et Trino sibi vere noto sacrificasse, sed etiam ipsos gentiles, saltem quamdiu Legis naturalis ritibus adhaeserunt, sicuti constat, veteres Sinas eis multo tempore adhaesisse.

§. 7.us

Expenditur 6.a Propositio, et 7.a

6.a An probabile sit creationem Angelorum, peccatum, ejusque tempus, et caetera hujusmodi distincte, et singillatim contineri in libris gentilium antiquissimis?

7.a An probabile sit ex iisdem libris eruere annum, quo peccavit Adamus, similesque circumstantias?

Ad priorem Propositionem, quae diversa complectitur, Censor universim respondet negative, asserens nullam de iis factam mentionem distinctam in veteri testamento: unde concludit

concludit, multo minus eorumdem notitiam posse reperiri in libris Gentilium, alioquin hos libros fore praestantiores Sacris codicibus.

Super hoc responso observandum est, non fuisse necessarium à Moyse, aut aliis Scriptoribus Sacris ea omnia distincte commemorari in Testamento veteri, quorum opus est haberi notitiam in Religione, cum plurimae ejusmodi notitiae factae a primo Parente generis humani per S. Patriarchas suos nepotes universali, fidaque traditione transmissae sint, non ad Hebraeos solum, sed etiam ad alias gentes, et ejusmodi Sacrae traditiones sint veluti divinarum Scripturarum complementum. Unde etiamsi in Sacris Codicibus nulla revera occurreret mentio de creatione Angelorum, et eorum peccato, ex eo male inferetur consequentia, de illis non posse occurrere ullam traditionem distinctam in libris gentilium. Quod cum ita sit non opus est hic immorari ad ostendendam falsitatem illius, quod Censor gratis asserit dicendo non citari ullum locum a Theologis ex toto veteri Testamento, quod satis nos doceat peccatum primi Angeli et interpretando praeclarum illum Isaiae cap. 14. textum, Quomodo cecidisti Lucifer etc. de solo Rege Babyloniorum, licet Menochius, et alii Interpretes ac Theologi illum interpretentur de lapsu veri, et antiqui Luciferi, cujus Rex Babyloniorum non erat nisi figura, et cui praedictus textus primario et magis proprie convenit, quemadmodum et illud Ezechielis c. 28. Elevatum est cor tuum in decore tuo, quasi cor Dei, et dixisti Deus ego sum, iuxta Platelium celeberrimum Societatis meae Theologum, ex quo id excerpsi.

Isai. c. 14. Quomodo cecidisti de coelo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: in coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum Laci. Menochius Societatis nostrae reunus, nec parvi nominis Interpres in hunc Isaiae locum haec habet: Solet hic locus benè accommodari Diabolo, qui a Deo cum splendore gratiae creatus est.

Sed satis erit ad verificandam propositionem praesentem, si proferantur traditiones, quae reperiuntur apud gentes de peccato Angelorum, hasque extrahamus e Speculo Xtianae Religionis, cujus Auctor hanc materiam tractat l. 5. c. 19. Non solum, inquit, fides hanc veritatem docet in Scripturis, sed etiam confirmat traditio omnium pene Philosophorum et populorum, qui eam ab Hebraeis et Chaldaeis acceperunt: nam Poetae eam tradiderunt sub fabulis Gygantum, quos Jupiter iratus coelo expulit, quia tentaverunt eum imperio spoliare, et de throno expellere: atque etiam per casum et conflagrationem Phaetontis: per Icarum volentem ad coelos volitare, et in mare demersum: per Vulcanum inclusum in fornace montis Aethnae, ut fulmina Jovi conderet, quia saepe sunt Divinae justitiae ministri.

Homerus hanc veritatem secutus describit Athem vel Athim a Jove ob superbiam in abyssum praecipitatum. Empedocles apud Plutarchum ait, Daemones sibi invicem bellum intulisse in coelo, quorum pars imbecillior ab alia parte devicta coelo pulsa secessit in mundum hunc inferiorem, illum commotura, et multis calamitatibus afflictura. Et libro de Iside apud eumdem, Aegyptii asserunt Cacadaemonem, ac Principem Daemoniorum, omnium malorum auctorem proscriptum esse in partes occidentales mundi cum suis satellitibus. Homerus lib. 19. Pherecides ait Daemonem serpertinum è Paradiso pulsum cum suis infernalibus copiis.

His occidentalibus traditionibus addo unam, aut alteram Orientalium excerptam è Bibliotheca Orientali Dni Dherbelot viro in notitia Orientalis antiquitatis peritissimo, qui verbo Eblis, hanc vocem sic exponit. Arabes hoc nomine Principem seu Ducem Angelorum praevaricatorum, seu Apostatarum exprimunt. Et ille Eblis, quem Christiani nuncupant Luciferum nomine è prophetiâ Isaiae mutato.

Husarius Vaesin in interpretatione Alcorani Persicâ ait: cum Angeli accepissent mandatum a Deo prosternendi se coram Adamo (non primo haud dubie, sed secundo, hoc est Verbo Divino postea incarnando) omnes obedivisse voci Dei, praeter Eblin ab inobedientia sic dicto, vel Ibbum, quae est vox illi synonima. Et paulo post: cum Eblis Asseclae Angeli denegassent Deo obedientiam, Deum maledixisse eorum capiti Ebli his verbis: Discede hinc, nam aeterna gratia mea privatus et maledictus eris usque in diem judicii. Demum hanc expositionem sic concludit: Eblis idem est ac is, quem Arabes vocant Scheitan, et Hebraei Sathan.

Nunc deveniendum esset ad traditiones his non absimiles, quas certum est clare, evidenter contineri in libris Sinicis, cum Censor noster has potissimum videatur impugnare. Sed convenientius est eas a nobis rejici sub finem hujus Responsi, ibique eas in §.° separato singillatim exponere una cum aliis traditionibus clarissimis circa alias veritates Evangelicas, quas similiter contendimus reperiri in iisdem libris Sinicis.

Sed antequam concludamus hunc paragraphum, unum adhuc opus est observare circa tempus lapsus Angelorum. Si Parens generis humani habuit distinctam hujus notitiam, ut est satis probabile, verisimile est hanc notitiam ab ipso ad posteros traditione pervenisse. Unde etiam si haec non videatur expressa in Sacris Codicibus: nihil tamen impedit, quominus conservari potuerit apud aliquam

nationem

nationem veterum traditionum amantissimam, quales sunt Sinae; atque adeo ejus notitiae indagatio (quidquid dicat Censor noster) certe nihil involvit Sanctae Fidei offensivum: licet cum eo, temerarium illum fore existimem, quicumque auderet super hoc sine requisito Ecclesiae examine et judicio quicquam affirmando pronuntiando, a quo semper fui, eroque Deo dante, alienissimus.

Idem esto judicium de tempore, quo peccavit Adamus, ad quod reducitur tota posterior propositio in hoc §.° exponenda: quamvis enim vetustissimas Sinarum traditiones, et numeros mysterio plenos, quibus innituntur, longa et diligenti meditatione perscrutando, varia, nec levia mihi occurrerint fundamenta ad aliquid, non incongrue conjiciendum circa tempus seu annum mundi, quo peccavit Adamus; sicuti circa annum, quo Angeli rebelles praevaricati sunt, nunquam tamen de his quicquam ausus sum pronuntiando affirmare, ratus ejusmodi decisivam dyscussionem ad Ecclesiam et Summum Pontificem pertinere.

§. 8.us

Expenditur Octava Propositio

An probabile sit in praedictis Gentilium libris fieri distinctam mentionem triplicis Status Innocentiae, naturae Lapsae, et Reparatae?

Ad hanc propositionem Censor respondet negative, hoc suo inani, et jam detrito ratiocinio, a Sacra Scriptura cum libris gentilium comparata, petito, frustra conatus demonstrare improbabilitatem ejus, quod adstruitur in praesenti propositione 8.a: nam in quaestionibus facti, quales sunt fere omnes illae, quas hoc suo scripto oppugnavit, prolato vel uno testimonio, in quo fiat mentio distincta illius dogmatis, cujus ille negat notitiam posse reperiri in libris gentilium; necessario ruunt omnes discursus, et ratiocinia huic contraria.

Deinde alio, nec magis firmo ratiocinio, petito similiter e libris Sinarum, cum in se spectatis, tum collatis cum Romanorum libris, incassum tentat demonstrare improbabilitatem hujus 8.ae Propositionis; quae cum ea fere omnia complectatur, quae in reliquis aliis continentur, ideo Censor noster non contentus eam explodere tanquam periculosam, et Ecclesiae odiosam novitatem; non dubitavit eamdem his verbis configere. Non solum, inquit, non est probabilis, sed evidenter falsa, periculosa, aliisque censuris gravioribus digna, omnibusque prohibenda. Quapropter responsum, quod ei opponendum existimavi, requirit paulo majorem prolixitatem: videturque fere totum confici oportere ex ipsis expositionibus libri ye Kim, tum antea Imperatori, hac pro ea, qua pollet auctoritate exigenti, oblatis, quam postea paratis, et nondum eidem oblatis, sed interim missis ad R. P. Dentrecolles, eas pro convenienti examine postulantem. Cum Censor noster praedictas expositiones nominatim sic oppugnet. Ubi nam, inquit, in Sacra Scriptura illae descriptiones, aut quid simile descriptionibus, quae nomine explicationis ye Kim venditantur.

Itaque hic omissis, nec repositis (ut materia prorsus exigeret) diversarum gentium traditionibus circa praecipua Religionis Xtianae mysteria, quae jam supra in prioribus Paragraphis exposita sunt, et continent distinctam notitiam triplicis mundi Status, hoc est naturae integrae, corruptae, et reparatae; solis hic inhaerebo Sinarum traditionibus. Sed cum triplex mundi status non possit juxta legitimum Legis Xtianae sensum exponi, sine praevia SS.mae Trinitatis notitia, ideoque necesse fuerit hoc Divinum mysterium ex ipsis Sinarum traditionibus stabilire; propterea Sinicae traditiones ad id pertinentes in praesenti §.° erunt pariter exponendae. Unde in materia jam nimis ampla hinc excrescente hic Paragraphus videtur # subdividendus in quinque Sectiones, quarum 1.a erit de traditionibus Sinicis ad adorandum SS.mae Trinitatis mysterium ~~spectantibus~~ spectantibus: tres sequentes et seorsim exponent traditiones ad tres mundi status pertinentes: quinta demum simul explanabit Ideam generalem triplicis mundi status, qualis intelligitur ex ipsis libri ye Kim principiis, et fuit approbata ab ipso Imp.re post serium, et diuturnum examen postrema aestate factum in Tartaria.

[Margin note:] # Ut lector statuere possit, num expositiones, quas hic proferimus Sinicarum traditionum sint fideles, et accuratae saltem quoad substantiam sensus, eas omnes transcriptas Sinico charactere, et in totidem Sectiones distributas in quaternione separato huic adjuncto, proferemus.

§. 8.us

Sectio 1.a

De Sinicis Traditionibus ad mysterium Sanctissimae Trinitatis pertinentibus.

Ne quis primum me esse existimet, qui praecipuorum mysteriorum Christianae Legis, atque in primis SS.mae Trinitatis notitiam conatus sum eruere e libris Sinicis; neque ideo arguat temeritatis, aut majoris alterius cujuspiam piaculi, ut injuste fecit Censor noster, meminisse convenit

convenit eorum, quae superius allegata sunt ex Speculo Religionis Christianae l. 2. c. 19. de Praenotionibus Christianae veritatis apud Sinas, ubi haec leguntur = Certissime constat Sinenses easdem tenuisse veritates, de mundi creatione, de Angelis de daemonibus, de productione primi hominis, ejusque capu, de diluvio, de Trinitate, de Redemptione, de Angelis et daemonibus, de aeterna remuneratione justorum, et impiorum poena, et alias, quas SS. Patriarchae tenuerunt.

Atque ne solum haereamus hisce generalibus Speculi verbis, diligenter notandum, primum ac praecipuum Sinicae Traditionis testimonium, quo usus sum coram Imp.re ad stabiliendum Divinae Trinitatis mysterium, longe ante me allegatum esse ab Auctore Speculi in l.° et c. modo citatis. Addunt Sinenses, inquit hic Auctor, * primum principium esse occultum et patens: illud etiam vocant Tao, quod est principium et finis.

[Margin note:] * Principium illud occultum, ac patens, quod Sinae vocant Tao et idem est ac lex aeterna, seu Deus, ab iis repraesentatur sicut a Moyse in capite figurae zephiroticae Systematis Cabalistici orbe partim lucido, partim caliginoso symbolice ◐ significante Lumen inaccessibile Divinitatis, juxta profundum illud doctrinae ye Kim axioma. + 一陰一陽之謂道 陰陽不測之謂神 Sicut tenebrae ejus, ita et lumen ejus. Psal. 138.

Dicunt Tao, seu legem fuisse unum, unum vero fecisse duo, duo vero tria, omnia tria vero. Eadem est Cabalistarum traditio. Unde etiam Pythagoreorum sacra ex his desumenda sunt. Illa enim lex aeterna Deus est, Pater unus generat Filium, seu alteram Personam, et Pater et Filius producunt Spiritum Sanctum, qui est tertia Persona; et exinde omnia opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Illud adagium vetus Eclog. Virg. Numero Deus impare gaudet, etiam apud Sinenses viget = Hucusque Auctor Speculi, qui secutus veteres Missionarios (neque enim hanc notitiam aliunde haurire potuit) eodem modo ibi exponit eximiam hanc Sinarum de SS.ma Trinitate traditionem, quo eam exposui coram Imperatore.

Praeclara porro haec traditio ab Auctore Speculi exposita ex libro vetustissimo Tao te Kim, hoc est de Lege, seu Ratione, et virtute scriptura, Tai xe cum Auctor veteris Chronici doctrinam libri Tao te Kim antepponit doctrinae librorum canonicorum ob ejus sublimitatem. Et vero Tao, id est ratio substantialis, seu lex aeterna, ibi definitur origo profundissima, seu Abyssus omnium rerum Van ve chi ngao.

[Margin note:] 道生一一生二二生三三生萬物

Quamvis laudaverim supra allegatam ex Tao te Kim de Trinitate expositionem; advertendum tamen 1.° illius verba Tao, seu legem fecisse unum, non rite reddere genuinum sensum textus Sinici. Tao sim ye; nam unitas, quae est symbolum Divinitatis seu Primae Personae, non fuit facta a Tao seu lege aeterna, sed est Principium et Prima Radix; unde lex aeterna educit seriem omnium productionum. Dicendum ergo hujus textus sensum genuinum sic se habere: Tao, scilicet aeterna lex, rationem radicalem generationis deducit ab unitate, unitas per se existens generat Dyadem; Dyas cum unitate simul producunt Triadem: Trias producit omnes res. Ex quo manifeste intelligitur, cum Tao sit lex aeterna, seu Deus, hoc est principium omnium rerum, quarum productio tribuitur Triadi; Deum quatenus principium omnium rerum, esse vere Trinum.

[Margin note:] 道德經序云老莊在六經之上太史遷先黃老而後六經

^(de) Sed Divina Trinitate, quaenam clarior traditio desiderari potest, quam ea, quae habetur in alio textu ejusdem libri Tao te Kim, et in expositione Interpretis Si jum.+ Sensus porro illius textus hic est. Si Tao, aut legem intueri velis, est invisibilis; hinc dici potest ye, sine colore (hoc alludit ad primam unitatem propriam Patris): si hanc audire velis, est sine voce; hinc dici potest hi, seu diaphana (hoc alludit ad 2.am unitatem propriam Verbi Divini, seu Filii): si illam apprehendere velis, est impalpabilis, hinc dici potest vei, subtilissima (hoc alludit ad 3.am unitatem propriam Spiritus Sancti). Quem de Divina Trinitate sensum tam manifestum facit Interpres, ut de eo dubitari non possit. In ejus commentarium = Hi tres, inquit, triplici appellatione designati, aeque sunt sine colore, sine voce, sine figura et nomine. Negatio et Affirmatio, Res et non Res perinde sunt insufficientia ad explicandum quid sint. Alio nomine deficiente, vocatur unum, vel unus, sed ita ut non unicus, nimirum unus quia Trinus, et ita Trinus est, ut non sint tres divisim; sed Trinus est quia unus. Cum ergo Trinus sit quia Unus, ideo Tres sunt unus, et Tres: et cum unus sit quia Trinus, ideo Unus est Tres et Unus. Ita tamen Unus est Tres et Unus, ut non sit Unicus; et Tres ita sunt Unus et Trinus ut non sint Tres divisim: siquidem Trinitas non constituit Tres seorsim divisos, ideo non sunt Tres (substantiae) siquidem unitas non est unicitas, ideo non est unica et sola) subsistentia). Uno verbo, cum non sit instar caeterorum entium, sive unus, sive trinus est vere ineffabilis. Ubinam gentium quicquam inveniri potest, quod magis accedat ad modum loquendi Theologorum Christianorum, cum disserunt de ineffabili mysterio adorandae Trinitatis.

[Margin note:] + Tao, inquit Martinius l. 4. hist. Sin., sive magna ratio non habet nomen: caelum creavit ac terram: expers figurae: sydera movens ipsa immota: hujus quia nomen ignoro, Tao, sive summam sine figura rationem dixerim. Speculum Christ. Relig. l. 1. c. 5.

Auctor veteris Vocabularii Xue ven exprimens vocem Tao, qua designatur lex aeterna, seu Deus confirmat Ideam Trinitatis modo tam dilucide expositam. In principio, inquit hic Auctor, Tao, hoc est lex, seu ratio productionum coepit ab unitate, vel uno, qui fecit et divisit caelum et terram, et produxit omnes res. Illa lex x circulo exprimitur, qui est Tai Kie, seu principium trinum omnium

[Margin note:] x ◯ Apud Sinas, ut apud nos, Symbolum Divinae Trinitatis, quia peripheria est aequalis diametro triplicatae. Kim ye pui san.

omnium rerum (Tai Kie̊ hoen san) non illud quidem materiale creatum, et limitatum, quod idem est ac hoen tun seu chaos ac massa materiæ crassæ subtili confuse permixtæ, ex qua scilicet Creator produxit Cœlum et terram; sed ipsum Tai Kie̊ immateriale, æternum, increatum, illimitatum, quale est illud, quod Ceu lienhi insignis Philosophus Dynastiæ Sum vocat Vu Kie̊, hoc est sine ullo fine, termino, et principio.

Ipsemet Confucius exponendo characterem Vam (qui est symbolum Hieroglyphicum regiminis aut Domini, et primario competit Deo, qui unus a se imperat, et est verus Dominus Dominantium, clarius adhuc confirmat Ideam Trinitatis supremo omnium Regi ac Domino Deo essentialem. Character Vam, inquit Confucius constat lineolâ seu charactere unitatis connectente tres lineolas, seu characterem Triadis: si Lex est trina, et non una non est apta ad Regnum, et gubernium supremum; si est una, et non trina similiter inepta est ad supremum dominium; sed si est una et trina, trina et una, verè habet quidquid est necessarium supremo Imperio, ac dominio, diciq potest et debet verus Rex Regum, et Dominus Dominantium.

Confucio paucis sæculis posterior Chuam çù de Triade numerica disserens videtur manifeste alludere ad SS.^mam Trinitatem. Unitas relata ad yên, hoc est verbum (inquit præclarus ille Philosophus producit Dyadem, seu alteritatem; et prima unita secundæ simul producunt Triadem. Quis in hoc non agnoscat rationem ineffabilem productionis Divinarum Personarum, ac præcipue Verbi Divini yĕ yù yên guei lh.× Quæ idem Auctor alibi disserit de Tao, seu lege, eximia sunt, neq nisi Creatori cœli et terræ competere possunt, sed cùm ibi non agat distinctè de Trinitate, non opus est ejus verba hîc exponere.

× 一與言爲二

Sed quoniam ex supra allegatis constat unum ac trinum rerum omnium principium, sive Deum in antiquis Sinarum traditionibus vocari Tao, seu Legem, qua in libro yĕ Kim diserte statuitur pro prima cœli, et terræ, ac rerum omnium origine: juvat claram ejus ideam exponere ex ipso hujus libri textu, necnon ex ejus recenti commentario Gĕ Kiam Dynastiæ præsentis. Liber yĕ Kim, ait: virtutes unius yn, et unius yam unitæ sunt Tao, seu Lex. yn et yam sunt inscrutabiles, seu spiritus infinitus, seu infinitè perfectus chí xîn. Juxta Commentarium probè distinguentem virtutes Divinas yn et yam proprias Creatoris ab yn et yam, seu forma et materia, quæ sunt principia finita componentia omnes res corporeas, et dependentia a virtute Divinâ et infinita yn et yam transcentalia.

Si his traditionibus ad mysterium SS.^mæ Trinitatis pertinentibus adjungas ea, quæ supra §.^o 6.º allegata sunt de ritibus et sacrificiis olim offerri solitis uni et trino Numini in ipso altari (Kiao) soli Supremo Imperatori xam ti dicato, hoc abundè sufficiet ad evincendum veteres Sinas olim idem sensisse ac Christianos circa hoc Divinum mysterium.

Sectio 2.^a

De Sinicis traditionibus ad primum mundi perfecti, seu naturæ integræ statum pertinentibus.

Cùm duratio naturæ integræ, seu primi mundi status fuerit multò brevior duratione naturæ corruptæ, et reparatæ, seu utriusq mundi posterioris status: traditiones ad illum primum statum pertinentes debent esse multo pauciores. Nihilominus quæ ex illis reperiuntur apud Sinas, habent, plusquam necesse sit, roboris ad persuadendum hunc primum mundi statum probè et distinctè notum fuisse antiquis Sinis.

1. Ac primo quidem Chuam çù sub finem præcedentis sectionis allegatus, nim clarè describit hunc primum, ac felicem mundi statum. yn yam erant tunc temporis in perfecta concordia. Spiritus tam superiorum, quam inferiorum mundi partium præsides nullas excitabant turbas. Quatuor tempestates erant æquè temperatæ, sine excessu, et defectu; adeo ut nulla res ab externis qualitatibus injuriam pateretur, et viventium nulli dies abbreviarentur. Homo tunc, licet scientia præditus, propriis luminibus diffidens, cœlesti, non proprio lumine regebatur.

2. Tai xĕ çim vetus chronista de hoc primo statu mundi disseruit his ferè verbis: tempora quæ præcesserunt Xin num, censentur prima mundi primordia; tunc temporis quæ ad cœlos, et astra pertinent determinata sunt ab Imperatore Hoam ti: Intelligentiæ cœli et terræ, ac rerum omnium tutelæ præpositæ, omnes in suo gradu et ordine se continentes ritè ac unanimiter commisso sibi munere fungebantur, nullisq agitabantur dissentionibus. Spiritualium virtutum lumine inferiorem orbem continuò collustrante, homines Angelorum

ductum

康熙五十一年七月初九日　李光地奏摺

臣　恭繹

圖象九者天數也并四成十三為天皇之數八者地數也并三成十一為地皇之數七者人數也并二成九為人皇之數配合皆極自然　由此觀之古所謂三皇者即皇極之皇也天皇云者猶言天之帝耳地皇云者猶言地之祇耳人皇云者則正謂繼天地統萬類之主洪範所謂為天下王者是也其所著人數歲數不過推元會以見三才並立之原殆表曆數以示皇極配天之無疆古書多隱語故神奇其說如此耳豈真有兄弟迭興沕沕穆穆于羲黄堯舜之前者哉我

皇上既以三皇之號盡歸之理數悉統之人皇足以破邃古之荒唐啟河洛之秘要

皇上之膺道統而衍心傳者于是在矣臣幸荷

聖教略有開悟



ductum sequebantur. Et licet diversa essent utrorumque officia, omnes tamen conveniebant in cultu et reverentia (Supremo mundi Autore et Moderatori debitis) declinantes ab omni offensa; atque adeo Spiritus fruebantur felicitate in cœlo, homines verò in terra utrobique ab omni calamitate im:munes.

Vetus Chronicum, saltem quoad ea, quæ ibi narrantur in capite cùm de San Hoam, seu tribus supremis Monarchis, tum de U ti, seu quinque Imperatoribus non esse verè historicum, et fide dignum. Sed jam dudum intellexerunt doctiores Philosophi inter Sinas, atque inter hodier:nos siquamsi Regni Administer, qui ab uno anno in libello ad Impᵗᵉᵐ misso visus est non improbare Rationem Astronomicam nuper à me propositam ad revocandum sensum genuinum sub fabulis et allegorijs veteris chronici contentum.

Si vetus Chronicum doctiorum Sinarum judicio, non est vere historicum, sed fabulis, et allegorijs ad legem pertinentibus refertum, multo minus liber Xu Kim, et cæteri libri canonici, etiam in ijs, quæ videntur historica, spectandi sunt tanquam libri mere historici; cùm contineant præ:cipua cœlestis, seu Divinæ legis dogmata sub diversis allegorijs, et figuris juxta tritum illud ac vul:gare omnium effatum ˣ Kim y çai tao; et in hoc præsertim discrepent a libris historicis, quorum juxta eosdem Sinas præcipuum ac proprium est commemorare res gestas Sù y Ki sú.

× 經以載道 史以記事

Porro cùm loquor de dogmatibus legis cœlestis latentibus sub figuris et allegorijs libro:rum canonicorum, nequis existimet, me velle abolere sensum allegoricum, quamvis eum mihi et alijs Mis:sionarijs cum evidentia pateat ejusmodi libros historiam minus quam allegoriam propheticam redolere, ni:hilominus relinquens Sinas in præconceptis suis ideis quoad sensum historicum, nihil tentabo quoad sensum allegoricum et figuratum, nisi insistendo vestigijs veterum Missionariorum, et inhærendo methodo, quam ipsimet primi tanquam sapientissimi duces nobis aperuerunt, ut patebit in decursu hujus §.

Siquidem juxta communem Sinarum sensum librorum canonicorum doctrina, tota perti:net ad legem cœlestem, hi libri debent haud dubie continere notitiam eorum, sine quibus nulla potest esse cog:nitio illius legis: atqui sine notitia triplicis mundi status, hoc est naturæ integræ, corruptæ, et reparatæ nulla potest esse cognitio legis cœlestis et Divinæ: ergo libri canonici Sinarum debent continere notitiam illius triplicis mundi status. Hinc mirum nemini videri debet, si triplicis hujus status notitiam Sinis de:monstrandam suscipimus ex Sinis libris libris canonicis; inter quos cùm liber Xu Kim clariora com:plectatur circa hanc materiam, inde præcipuas eruam traditiones ad statum naturæ integræ spectan:tes.

3. Et verò liber Xu Kim, ubi agit de primo Rege Dynastiæ Hia alludit manifeste ad primū generis humani Parentem, et Regem ante ejus lapsum cùm de eo sic loquitur = Hoc primo tempore, cum virtutem suam latè protenderet, tunc nulla toto mundo videbatur calamitas; omnes Spiritus montium et aquarum custodes erant perfectissime quieti, non secus ac genus omne volatilium, quadrupedum, piscium et reptilium, nullo tunc homine nocente.

4. Idem liber similiter clarissime alludit ad primum hominum Parentem in justitia origi:nali perseverantem, dum generis humani integritatem, et totius mundi conservationem inde pendere ait his verbis notatu dignissimis. Unius hominis justitiâ originalis sufficit ad integritatem omnium mundi popu:lorum et Regnorum.

5. Clarius adhuc Xu Kim loquitur de primo Parente justo, cùm ait = Supremum Imperato:rem Xam ti in prima hominis productione ei infudisse naturam plenam rectitudine = Hiam chum yu hiá min jŏ yeu hem sim = Hoc enim de prima hominis productione esse intelligendum, patet ex ijs verbis Regis Commentarij Ge Kiam Vei Hoâm Xám ti tām xi sem min chi çō: quæ nullum super hoc dubium

6. relinquunt. Præterea integer, et magnus Commentarius libri Xu Kim primam illam rectitudinem

7. homini primo inditam miris modis et Catholico Christianorum sensui planè consonis exponens præcedentis Commentarij explanationem pulchrè confirmat.

8. Non minus præclarè id confirmatur ex hoc veteris Chronistæ jam supra citati testimo:nio, sic loquentis = Olim cœlum et terram (id est omnes creaturæ) perfecte subjacebant voluntati et mandatis Supremi Domini. Quatuor anni tempestates sine confusione suam quæque temperiem ser:vabant, genus humanum, tunc in lumbis primorum parentum, erat perfecta virtute præditum; ideò ter:ra sponte ferebat apta ad hominem sustentandum alimenta: ejus corpus tunc non erat obnoxium morbis, aut ullis alijs calamitatibus, quarum mors censetur maxima = Atque hæc est vera idea natu:ræ integræ primi mundi status.

9. Veteri Chronistæ non cedit quoad hoc Hoam nan çu sacræ antiquitatis sagacissimus In:dagator, qui aliquot sæculis ante Xtum vixit. Hic de natura integra, seu primi mundi statu agens, hæc præ

haec praeclara posteris tradidit = Tempore perfectae puritatis, omnia erant in perfecta subjectione, et concordia; cor hominis, hoc est ejus animi motus plane conformes erant rectae rationi et legi Divinae, ejus corporis motus cum justitiae legibus consentiebant. Intus sine dolo homo vera fruebatur hilaritate. Ejus actiones simplices erant sine ullo fuco. Atque ita virtutem è caelo, felicitatem è terra percipiebat (et propter mutuam inter naturas intelligentes, et corporeas connexionem a Supremo Conditore decretam) quatuor tempestates tunc erant sine ulla confusione, homo erat immunis ab injurijs aeris, nullis tunc ventis, aut imbribus terras vastantibus, Sole, Luna, et caeteris planetis praescriptas ab Auctore sibi leges simul exactè servantibus.

10. Cum primus ille mundi status fuerit tam brevis durationis, neque postea fuerit restitutus ad eamdem omnino formam, Sinis etiam quoad hoc nobis consentientibus; pauca haec ex illis deprompta, et supra allegata sufficiant, longe plura, et clariora de secundo mundi statu, seu de natura corrupta prolaturus sectione sequenti.

Sectio 3.ª

De traditionibus Sinicis ad secundum mundi corrupti, seu naturae perversae statum pertinentibus.

Secundus mundi status, in quo natura corrupta est, ac perversa tam multis consignatus est veteris traditionis Sinicae testimonijs; et sub tam diversis symbolis, figuris, et allegorijs clarè adumbratus, ut difficile sit ea omnia referre. Sed quia iuxta indubitatam Christianorum traditionem, totius mundi corruptio habuit duplicem originem; unam immediatam, nempe primos Parentes; alteram mediatam, nimirum Angelos Deo rebelles: et utriusque naturae maliginitate, ^[tindies invalescente,] corruptio fuit tandem consumata: ut Sinicas traditiones ad hunc mundi corrupti statum pertinentes exponamus sine confusione, has revocabimus ad triplex caput, 1.º loco referendo eas, quae ad Angelos rebelles; 2.º quae ad primos Parentes; 3.º quae ad corruptionem naturae intelligentis, et mutationes inde ortas in genere humano, et caeteris mundi partibus.

Cum ergo Religio Christiana totam naturae ~~corruptae~~ perversae cladem et mundi corrupti ruinam tribuat Lucifero Angelorum rebellium Principi, cujus ambitio modi nescia, et casus fatalis sic describitur ab Isaia cap. 14. Quomodo cecidisti de caelo Lucifer, qui mane oriebaris... qui dicebas in corde tuo, in caelum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundi laci &c.! Ordinis ratio postulat, ut prolaturi traditiones Sinicas ad mundi corrupti pertinentes, ordiamur ab ijs, quae Luciferi, et asseclorum ejus rebellium Angelorum è caelo ejectorum figuras continent, et quae maximè accedunt ad Sacram illam S.ᵗ Joannis ideam, funestum Angelorum casum describentis sub figura Draconis tertiam stellarum partem caudâ secum in terram trahentis: et quae in magno caelorum libro conspiciuntur ad Aquilonem sub Asterismo seu imagine Draconis stellati, duos superiores mundi polos, hoc est aequatoris, et ecliticae arroganter exuperantis, sed Divini herois calce in abyssum detrusi, adumbratas tam in mappa caelesti Sinica, quam Europaea: unde lux sane maxima affulget ad demonstrandam orientalium et occidentalium traditionum identitatem.

Traditiones Angelorum rebellium casum signantes.

Lucifer sub figura Draconis.

Apoc. c. 12. Et visum est aliud signum in caelo; et ecce Draco magnus rufus.. et cauda ejus trahebat 3.ᵃᵐ partem stellarum. Speculum Relig. Christ. l. 4. c. 16 Quid aliud indicare voluit per Sygantem illum stellatum genuflexum, et altero pede calcantem Draconem, nisi Jesum, qui ut Gygas exultavit ad currenda viam, et Herculis verus monstra inferni domuit &c. Ex Papinio.

Qua propter ut ostendatur ambitiosus, et modi nesciens Luciferi in caelum ascensus, nil convenientius videtur eo textu, qui initio libri Yě Kim sub Kiên qua legitur, ubi figura superbissimi et pervicacissimi Draconis Cam lum semper sursum tendentis et nunquam retrogredientis chi càn, pŭ chi tùi nativis coloribus pingitur insolens ac modi nescia arrogantis illius Spiritûs ambitio; sicuti funestus illius casus non minus clarè describitur in alio textu ejusdem Libri sub mim y qua, quod est proprium Luciferi signum Hieroglycum, ubi clarissime exprimitur, quomodo superbus ille spiritus caeca ambitione raptus caelesti lumine suae intelligentiae, in altissimum caeli locum conscendere volens, detrusus sit in imum terrae abyssum. Pŭ mim hoei ço tem yŭ tiēn, heu gĕ yu ti, et sibi met vitae (aeternae) jacturam et extremam perniciem attulerit: Chum pie chi yu cil xam, li chúi Hine mim.

Consulenda est mappa caelestis, quam huic scripto adjungam

Vetus Commentarius Xe san Kim in librum Chun cieu enumerans septé contellationes orientales, quae in latere Aquilonis respondent, quam Asterismus Draconis à capite ad caudam occupat in mappa caelesti Europaea, ait has constellationes constare corpus Draconis ~~co~~ ... cum gui cam lum chi ti = et Jam Feu constellationem Kiŏ esse caput Draconis, ultimam vero Vei esse ejus caudam, haec in regione boriali, illa in regione Australi sibi invicem oppositas. Hinc dominatio nodorum Eclipticae, in quibus solent fieri omnes eclipses, quae per omnium saeculorum seriem sunt perpetuae, et recurrentes

et recurrentes quotannis figurae connaturales portentosi utriusque illius defectus, qui initio observatus est in natura tum Angelica, tum humana, cum utraque caelesti rationis lumine extincto, a lege sancta Creatoris defecit, et Deus utrobique reperit pravitatem.

Vetus traditio describens figuram Draconis, ait ejus caput habere cameli capitis ~~foeditatem, et~~ foeditatem, ejus collum colli serpentis gracitatem, ejus cornua esse cornuum cervinorum instar tortuosa, ejus oculos sicuti cacodaemonis igneos et scintillantes, ejus aures aurium tauri similes, alvum ranarum instar testudinis, totum corpus squamis obductum piscium more, demum ejus ungues esse vulturis, pedes verò tygridis proprios. Quis in hac veteri Draconis ~~figura~~ pictura non agnoscat germanam antiqui serpentis, seu rufi et tartarei draconis figuram, qui suo è caelo lapsu, secum in terram traxit tertiam circiter Angelorum partem, quorum subitum, et protentosum casum vetus commentarius Co Leam in librum Chun cieu commemorat sub figura stellarum fixarum è summo caelo instar grandinis, seu imbris delapsorum.

Lapsus Angelorum in stellarum imbre figuratus

6. Quod porrò hoc prodigioso stellarum è caelo lapsarum imbre certò certius designata sit omnium Angelorum rebellium è caelo ejectorum ruina, hoc extra dubium ponit vetus commentarius Xe san Kim hanc traditionem exponens modo plane conformi Ecclesiae Christianae sensui, dum ait = Omnes constellationes esse imagines Principum Chŭ heu, quos alibi demonstrabimus, iuxta geminos Sacrae Cabalae Hiosariae ideas, esse praecipuas Aulae caelestis intelligentias, tanquam Rectores, aut Regulos praecipuis caelorum regionibus praepositos. Ait insuper praedictas stellas è caelo lapsas, nonulla in suis locis apparuisse, quod dicti caelestis Aulae Principes, quorum erant imagines media in via deficientes violassent leges, et mandata Filij caeli Tiēn çù (quem fuisse verum Dei Filium infra evincemus) communis omnium Regis et Capitis; et quod suâ Principum caelestium dignitate spoliati, è proprio loco excidissent cum vitae (aeternae, cui destinati fuerant) jacturâ.

一 ✕ 共工 蚩尤 九黎

Luciferi, et caeterorum Angelorum graviorum rebellio diversis praeterea allegorijs et figuris adumbrata est praesertim sub nominibus tyrannorum facinorosorum, qui protentosis cladibus totum orbem devastarunt, et sunt totidem genuinae unius Luciferi figurae. Horum praecipui sunt Cum cum, Chi yeu, et Kieu li, de quibus singulis seorsim.

7. Liber Co chuen agens de primo mundi tyranno Cum cum, haec habet: Xao hao xĕ (unum de quinque nominibus Supremo Imperatori Xam ti attributis) habuit unum filium virtute destitutum, qui violatâ fidelitate, et observantiâ Regi et Patri debitâ, dolosas et fraudulentes artes secutus, factus est impostor et circulator, assentatores sibi subjiciens et scelestos, omnes totius orbis populi ipsum appellant Kium Kie, Kium Kie idem est ac cum cum.

8. Quantumvis ista conveniant Rebellium Angelorum Principi; non tamen hunc tam distinctè designant, ac ea, quae leguntur in libro Hoam xĕ his verbis = Cum cum xe fuit Princeps ~~[illegible]~~ subditus Imperatori Supremo ^Fohi. Ejus Regnum coepit tempore perfectae pacis, vel cam hoei. Ejus nomen erat Hoêi (circulator) habebat corpus pilosum (instar ferae) capillitium rufum, proprio lumine fretus suam spiritus intelligentiam sibi uni (non Deo) acceptam referabat. Post Regnum Fohi, Cam hoêi extinxit virtutis suae lumen, coepit vexare subditos supplicijs, et primus legem caelestem perturbavit, tyrannicè usurpavit terram Ki, hoc est mundum, devastando omnia Regna et imbellia deprimendo. Nullam habebat fixam sedem, omnis regio ei pro patria erat, virtutem suam, ac dominium exercebat super aquas, efficiebatque ut exundarent per universam terram. Uno verbo ejus actiones erant contrariae legi supremi caeli Domini, et omnis prosperitatis impedimentum. Unde hoc tempore contigit, ut axis caelestis veluti frangeretur, et quatuor terrae cardines veluti rumperentur. Idcirco nui Hoam xe (verbi Divini, seu Sapientiae Incarnatae figura) hunc bello captum occidit.

^ figura Xamti.

中 任智自神

二 ✕ 人面蛇身 與帝九角 頭觸不周山

9. Aliae traditiones tribuunt Tyranno Cum cum corpus serpintinum sub humano vultu,
10. gin mien xe xin: et aiunt hunc decertasse de Imperio cum Supremo Imperatore Chuen him (altera figura Xamti) et ambitiosa ira obcaecatum veluti cornibus impegisse in summum caeli verticem, unde
11. fractus est axis caelestis, et rupti terrae cardines. Quis in ijs figuris et allegorijs non agnoscat rebellis Luciferi superbam malignitatem et calamitosas ab ipso toti orbi illatas clades? quae sub figura Tyrannis chi yeu adhuc clarius depictae sunt.

12. Tyrannus Chi yeu, si libro Xu Kim, et magno ejus Commentario fides sit adhibenda, prodire coepit circa prima mundi perfecti, seu saeculi aurei tempora Thum hoam chi xi primus aperuit portam rebellionis, et viam iniquitatis (pu yum ti mim) ejus malignitatis fuligo pervenit ad genus humanum, eumque nequitiae suae nigredine sic infecit, ut ex Leam min, hoc est albo, libero, et optimo populo factus sit Li min, hoc est veluti nigra Aethyopum et vilium servorum turba, è suavissimo caeli dominio ad intolerandam principis tenebrarum, et novem ordinum Daemonum servitutem miserum in

Tyrannus chi yeu altera figura Luciferi.

二 ✕ 九黎黎民之君 天良民之君

miserum in modum redacta. Nam Tyrannus chi yeu dicitur Kiu Lieum, hoc est Rex novem Principum seu capitum nigrorum, sive novem ordinum dæmonum.

×四 應命之龍

13. Quæ in veteri Chronico, in annalibus, et cæteris vetustæ traditionis monumentis leguntur de Tyranno chi yeu, dubitare non permittunt, hunc veluti Cum Cum non esse alium quam figuram Luciferi; ac primo quidem prælium contra eum commissum a Supremo Imp.^re Hoam ti (figura ~~Luciferi~~ Verbi Divini) qui ad domandum superbum illum ac pervicacem draconem adhibuit obsequiorum ministerium fidelissi.^mi ducis ymlum (draconis obsequentis). Num ad litteram refert prælium a Sancto Michaele commissum contra principem Angelorum rebellium? Illa nebula caliginosa a Chi yeu excitata, num repræsentat tartareas dæmonum artes, quibus alijs Angelis in cælo, et hominibus in terra mentem sic perturbavit, ut certam ipsis ad vitam cælestem viam ademerit; sicuti currus ille magneticus ab Imperatore Hoam ti inventus indicans polos cælestes, ubi Sinæ veteres fixerunt Sacram Sedem Supremi Imperatoris, est symbolum novæ Legis, quâ scilicet Filius Dei, seu verus Tien çù certò deducit homines ad viam salutis. Quid portentosa illa 81. fratrum rebellium turba, quorum caput cupreum, corpus ferinum cum voce humanâ, frons ferrea, dentes adamantini, et arenam instar orizæ molere soliti, qui feruntur primi armorum bellicorum inventores, necnon hastis prælongis, et arcubus ingentibus gygantum more armati; quid, inquam, illa fortium armatorum cohors aliud repræsentat, quam quod Poetæ veteres occidentales sub gygantum fabulâ adumbrarunt, nempe principes tenebrarum ab initio in cælum rebelles, et auctores perfidiæ, in quam genus humanum ab his seductum ac dementatum incidit, cum relicto Divino cultu paulatim corruit in omne falsarum, et perversarum sectarum genus, quarum prima institutio tribuitur nefariæ illi pessimorum fratrum legioni in veteri Annalium libro Cam Kien.

×五 天子

桀

14. Demum cùm liber Lo xe expresse ferat Chi yeu, principem hujus legionis tartareæ esse spiritum monstri similem, cujus figura vulgò exsculpta conspicitur in plerisq. focarijs, et alijs vasis sacris trium veterum Dynastiarum sub figura bestiæ ferocis et cum alijs corneis, quales nostri pictores ipsi Lucifero aptare solent, veteribus hunc ita repræsentantibus ad terrorem, et ad comprimendam hominum libidinem, et crudelitatem, quis potest in dubium revocare hunc veram esse Luciferi figuram.

×六 付以肉翅

15. Unde non mirum Sinas in suis libris referre Spiritum seu dæmonem Chi yeu interdum de die apparuisse, puta in territorio Tai yuen Provinciæ Xan si sub Imperatore Han u ti cum corpore serpentis, et pedibus testudinis varijs modis affligens indigenas, qui ad avertendam hanc vexationem, et tunc fana et sacrificia dicarunt, tanquam Sathanæ malignorum Spirituum principi.

×八 有扈氏 驩兜 混沌

Præter famosos illos Tyrannos Cum Cum et Chi yeu, sub quorum figurâ veteres Sinarum libri Luciferi indolem perversam, gesta nefanda, et clades consignarunt; liber Xu Kim et Commentarius Ço chuen in librum chun çieu plures alios Sycophantas memorant, quorum characteres si cum debita diligentia perpendantur, haud dubiè agnoscentur similiter esse totidem vivæ figuræ illius nefandi spiritus, cui sacræ traditiones totam mundi corruptionem tribuunt.

Alia figura Luciferi.

Inter has præsertim sunt yen hu xe, hoen tun, sien pi, sin yen nd. de quibus pauca allegata sunt in quaternione Sinico huic adjuncto.

Novem soles spurij è cælo deturbati, figuræ novem principum dæmoniorũ è cælo ejectorum

×九 羿 羽林軍

Hic omittenda non est fabula illa celebris decem solium, quos simul in cælo conspectos esse sub Rege Yao memorant Annales Cam Kien. Ibi legitur tantum tunc calorem extitisse, ut adusserit omnes segetes. Sed Supremum Imperatorem Yao, quem supra Dei figuram esse innuimus ministerio Ducis alati arte sagittandi summe periti novem spurios soles sagittis suis in terram dejecisse, non nisi unico vero cæterorum victore relicto. In hac fabula tam affini Phaetontis fabulæ Luciferi superbiam, casum, et cladem ab ipso orbi illatam referentis, quis eundem sacrum sensum statim non percipiat. neque ex epocha temporis possit dubium movere, attendendum diligenter ad id, quod observatum est ab Auctore libri Lo xu pien, et pluribus alijs viris doctissimis, ex loco, quem sol tempore Regis Yao obtinebat in cælo, unde concluditur hoc tempus non longe abfuisse a primo mundi primordio.

Figura Michaelis Archangeli.

Figuræ novem capitum Angelorum rebellium. Similiter legio 81. fratrum quam Kiu li habebat novem capita, seu Duces. Nubis draco vel nigri iuxta Sinas he lum figura Luciferi cataphractus 81. squamis.

×十 大風 風伯 天禪

In eodem Annalium loco describitur Luciferi atrocitas sub figuris quatuor monstrorum diversorum, quæ feruntur simul prodisse sub Regno ejusdem Imp.^ris Yao. Primi ferocitas describitur instar Spiritus typhonis seu venti borealis, cujus indomita indoles causa fuit cur apud nostros poetas, et Mythologos habitus sit pro Sathanæ dæmoniorum principis figu-

principis figurâ. Hinc Sinici Annales hunc vocant Ta fum (magnum ventum) voce quoad sonum et sensum Typhoni non absimili, et Fum pe tien xin, hoc est genium, seu dæmonem procellarum, et ventorum præsidem, cujus tantæ sunt vires, ut hominum ædificia non satis sint resistere. Tria reliqua monstra sathanicæ ferocitatis imagines sunt coluber immanis magnitudinis, Aper sylvestris, et aliud animal minus notum, quæ simillima videntur alijs monstris, quorum mentio fit apud nostros poetas eâdem circiter de causâ, imo et in Sacra Scriptura, puta Psal. 79. et Apocal. c. 12. Ut quid destruxisti maceriam ejus; exterminavit eam aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam. Et projectus est draco ille magnus, Serpens antiquus, qui vocatur diabolus &c.

Quatuor porro hæc monstra esse totidem ac diversas Luciferi, vel quatuor dæmonum principum figuras, sicuti novem spurij soles sunt figuræ novem capitum Angelorum prævaricatorum; hoc ex eo manifestum fit, quod mundus ab utrisq. liberatus feratur mandato ejusdem Supremi Imperatoris et ministerio ejusdem Ducis Alati. In quo quis non agnoscat Michaelem Archangelum per Bellerophontem debellantem chimæram rite a poetis adumbratum? Nonne et huc alludit textus ille Yě Kim mint gua, quod Luciferi symbolum esse diximus, quo traditur venatu captum esse magnum animal, quod est figura Sathanæ pessimæ omnium creaturæ. Sed hæc de Lucifero sufficiant, seu de prima et radicali mundi corrupti causa originali, et immediata corruptionis totius generis humani.

Traditiones primorum Parentum prævaricationem testantes.

Sagaci Sinarum antiquitatum scrutatori, non pauciores certe occurrent traditiones pri-
1. morum Parentum culpam commemorantes, quàm occurrere demonstravimus Angelorum rebellium capitis prævaricationem testantes. Plereq. ac præcipuæ extant in libro Xu Kim, qui Adamum peccatorem repræsentat sub persona diversorum Regum pessimorum, qui violatâ Deo debitâ obedientiâ, domum integram et Regnum omni genere vitiorum et calamitatum repleverunt. In-
2. ter hos primus occurrit Rex San miao, de quo liber Xu Kim ait fuisse virum superbum propriâ prudentiâ nimis fidentem contemptorem legis cælestis, virtutis osorem et sui populi infensissimum hostem, adeo ut inciderit in gravissimam cæli offensam. Hunc porro fuisse non alium quàm proto-
3. plastum hominum Parentem, id extra dubium colligi potest ex magno Commentario Ta çiuen de hoc Rege San miao referente hunc totam suam perversitatem didicisse a Tyranno Chi yeu, seu Kiu li, quem Luce meridianâ clarius demonstravimus esse indubitatam Sathanæ primi tentatoris imaginem.

Id confirmatur ex ipsa expositione libri Xu Kim dictâ Xu chuen Regis San miao perversitatem describente, eamq. ad tria vitia capitalia, quorum gula prima fuit referente. Id insuper confirmatur ex varijs portentis a diversis Auctoribus relatis, quæ videntur non posse competere nisi pri-
5 mæ primi Parentis perfidiæ, unde tanta toti generi humano illata clades. Et verò quoniam aliò potius tempore contingere debuit portentosa illa eclipsis solis, quæ ejus lumen totis tribus mensibus abstulit universo orbi; vel pluvia illa sanguinis, quæ per tres dies totam tellurem irrigavit, quam cum Protoplastus Conditoris sui oblitus execrandâ cælo, et terræ perfidia, ejus mandatum violavit.

Nomen et figura Xamti Yao.

6. Idem liber Xu Kim sub nomine et persona Kien, et per allegoriam diluvij universalis præclarè describit primum parentem, et effusionem iniquitatis, quæ ejus culpâ invasit genus humanum: nam diluvium illud, quod fertur contigisse tempore Regis Yao, simillimum est, imò idem ac illud, quod supra excitatum diximus a Tyranno Cum cum, seu Lucifero, quod allegoricè de diluvio iniquitatis intelligendum esse demonstravimus, ostendendum id contigisse propter superbiam et pervicaciam illius spiritus rebellis legem cælestem sine metu violantis.

×.

Pro intelligentia hujus præclaræ allegoriæ, advertendum Hoen, qui dicitur filius primogenitus unius Ti, seu Xam ti, nec potitus imperio ob suam socordiam, videtur imago Adami peccatoris; ita Xun co, seu viri vecordis (altera Adami figura) filium Sanctissimum ad imperium evectum ob suam virtutem, et videri figuram Messiæ. Quo posito facile intelliges sensum reconditum unius textus libri ~~Xu Kim~~ chu xu Ki nien ferentis cùm Yao, seu Xam ti deferre vellet mundi administrationem Xun seu Messiæ, tunc Cum cum, et Hoen, hoc est Luciferum et Adamum ei restitisse: et propter hanc cæli mandato inobedientiam Xun, hoc Verbum Divinum incarnandum, detrusisse Hoen in carcerem Yu xan id est in Limbum; Cum cum verò in terram perpetuâ caligine, hoc est in infernum yeu cheu.

Insuper qui diligenter attenderit ad ea, quæ referuntur in libro Xu Kim de pessimis Regibus Kie et Cheu Dynastiarum Hia et Xam, Cheu, qui rectæ rationis lumine extincto, cælestem legem violantes, vitiorum suorum contagiosa tabe posteros omnes infecerunt, eosq. in summam calamitatem adduxerunt, is nullo labore in illis poterit agnoscere primum hominem Regem ac Parentem, et cladem universalem toti generi humano illatam propter illam cælo inobedientiam, justam ejus iram com-

movuntem

commouentem, maxime si attendatur tres prædictos trium Dynastiarum Reges per mulieres dementatos esse, 20. ac peruersos cum suis Regnis, quemadmodum primus hominum Rex et Parens per Euam suam vxorem, ad quam haud dubie alludunt libri xi Kim, xu Kim et yě Kim, cum ruinam vniversi orbis, et totam generis humani corruptionem in mulierem refundunt: compilantur, et perpendantur textus Sinici ex dictis libris allegati in Quaternione Sinico huic adjuncto; atq; imprimis ille ex xi Kim Suon si Kiamçú tien sem çú fu giú. hoc est perturbatio, et corruptio vniversi cœlo tribui non debet, sed uni mulieri. 二

21 Tanta Sinicarum traditionum cum sacris Legis Christianæ traditionibus conformitas, quò magis luceat, hîc diligenter perpendendus est alter + xu Kim textus clarè et distinctè alludens ad tenuitatem mandati, seu potius rei prohibitæ, a cujus observatione, vel violatione, Deus initio mundi, pro summâ suâ sapientiâ decreverat pendere salutem, vel exitum totius generis humani.
+ libri ^

Traditiones cordis humani peruersionem et mundi mutationem spectantes.

Finem non inuenirem, si vellem hîc congerere omnes traditiones Sinicas, quæ mundi corrupti causam refundunt in primos Parentes; nunc pauca subjicienda sunt de ratione, qua facta est illa corruptio, et de mutationibus, quæ in maiori et minori mundo simul contigerunt.

1. Liber xi Kim clarè docet hominem in suâ prima productione, hoc est in primis Parentibus secundum naturam integram spectatum, non sequi solitum proprium lumen, aut ductum sui amoris, et ideo tunc felicem extitisse. Sed postea ex quo cœpit velle esse sui juris, et factus motuum suorum veluti arbiter ac dominus, spreuit cœlestem legem, statim incidit in omne miseriarum et calamitatum genus.

2 Liber Li Ki præclarè describit, qua ratione cor hominis a prima et natiua integritate defiiciens per gradus ad summam et consumatam peruersitatem deuenerit: natura hominis a cœlo primitus indita, inquit liber Rituum, initio erat perfectè quieta, et sine ulla passionum commotione: sed ubi permisit se rebus sensibilibus excitari, statim prodijt cupiditas rerum cognitione producente concupiscentiam, et auersionem, quibus intus inualescentibus, cor ab externis sic agitatum est, ut postea non potuerit se continere, et lumen cœleste in eo sit extinctum. Deinde rerum externarum impulsibus cupiditatem sine lege commouentibus, cor ijs penitus adhærendo, factum est veluti totum materiale. Unde præter rationis extinctionem, secuta est libido passionum effrenata: hinc oppositiones, et resistentiæ cœli mandatis; hinc dissimulationes, fallaciæ, dissolutiones, tumultus; ita ut qui prævallerent viribus opprimerent debeliores; qui essent numero superiores, pauciores atterrerent; astuti seducerent simplices; audaces timidos diuexarent; ægri non possent conualescere; ac demum senes, juuenes, orphani, ac viduæ debito jure suo priuarentur; summa corruptione sic consumata.

3. quam liber yě Kim symbolo Quen quá ait, non uno mane, aut vespere perficiendam, sed post longa criminum diuersorum incrementa habituram ultimum complementum cum subditi proprium Regem, filij proprium patrem trucidabunt, ut contigit quando Judæi Jesum Xtum suum et omnium Conditorem et Regem trucidarunt; nam hunc præclarum libri yě Kim textum eò alludere, mihi videtur extra dubium.

4 Sacræ Christianorum traditiones ferunt primorum Parentum corde per peccatum corrupto, ex eo eorum corporum temperiem sic immutatam et alteratam fuisse, ut facta sint obnoxia omnibus morborum generibus. Num ad hoc manifestè alludit illud, quod legitur in principio Annalium Sinicorum de Imperatrice Xin Nun, quem vetus Chronicum facit primum inuentorem artis medicæ, eo quod humanum genus antea omnis expers infirmitatis, tunc primum cœperit, ut aiunt, omni morborum varietate conflictari. Illud ex eo inuictè confirmatur, quod Xin nun censeatur Tihoam terræ Monarcha, hoc est secundus ex tribus Hoam, seu Monarchis supremis, secundum quos traditio distinguit triplicem mundi statum; secundum statum, hoc est mundum mutatum et corruptum tribuendo ætati Xin nun, sub quo, aiunt, legem terrestrem seu peruersam cœlesti seu Diuinæ legi successisse.

5 Hominis seu minoris mundi corruptione ex traditionibus sic demonstrata, superest ut maioris mundi corruptionem, seu mutationem inde secutam ex ijsdem demonstremus. Liber Chum him tien ven chi ait primis trium Dynastiarum temporibus (sub quibus primum, hoc est perfecti et integri mundi statum adumbrari supra diximus) quinq; planetas constanter seruasse sibi præscriptas a primo Conditore leges et vias sine ulla aberratione; sed circa finem, hoc est cum felicium illorum temporum status per corruptionem cordis immutatum est, tunc quinq; illa sydera amissa et perturbata prima motuum suorum lege cœpisse fieri retrograda.

Liber Cam-

6. Liber Cam Kien, seu Annalium refert Regem Kiě (quem supra statuimus esse unam è figuris Adami prævaricatoris) vidisse sub suo Regno primas stellas è cœlo decidentes, terram motibus concuti, flumina et lacus arefieri, corruere altiores montes, et omnia cladium portentosarum genera sibi inuicem succedere.

7. Præfatio Co leam veteris commentarij in librum Chun çieu exponit, quomodo insolitæ omnis generis calamitates, aperta per delictum creaturæ intelligentis porta in mundum ingressæ sint, et omnes hominum generationes aliæ ex alijs communem primæ originis labem contraxerint, adeo ut ex ea yn et yam calor et frigus primam amiserint temperiem; septem planetæ turbatis motibus facti sint inter se discordes, montes cœperint corruere, flumina arescere, ac dæmones hominibus modis diuersis nocere. Majoris ac minoris mundi corruptione ex Sinicis traditionibus sic demonstrata, ex ijsdem nunc utriusq; restauratio est demonstranda.

Sectio 4a

De traditionibus Sinicis ad tertium mundi statum, seu ad naturam reparatam pertinentibus.

Auctor Speculi l.4. c.14. de reparatione generis humani per Xtum Messiam sic loquitur. Hic est desideratus cunctis gentibus, qui quidem per Diuinam reuelationem à Patriarchis præcognitus, a Prophetis prænuntiatus; non autem tantum a Judæis expectatus et creditus fuit venturus, sed etiam in ipsa lege naturæ, in omnibus ~~forme~~ fere orbis terrarum Prouincijs sub varijs imaginibus, figuris, et ænigmatibus adoratus fuit, ut l.2. et 3o. ostendimus.

Siquidem post naturam corruptam, Lex Diuina tota et vnicè spectat ad mundum reparatum; cum iuxta communem veterum Missionariorum sensum Sinæ seruent plurimas sacras traditiones ad Diuinam legem pertinentes, in ijs haud dubie debent esse innumeræ et clarissimæ, quæ spectent mundum reparatum; imo quicumq; reconditam librorum canonicorum doctrinam, et puriores antiquitatis Sinicæ traditiones assiduo et conuenienti studio contulerit cum singulis Religionis Christianæ mysterijs, is clarissimè intelliget totam veterum Sinarum sapientiam vere ad mundi reparationem attinere. In tanta multitudine facile erit plures seligere ita characteristicas hujus tertij mundi statum, seu naturæ reparatæ, ut ambigi non possit Sinas olim illius habuisse notitiam distinctam, et similem illi, quam habent Christiani: quod ut clarius appareat eas traditiones ad ea capita reducam, quæ apud Christianos verum Reparatorem mundi certius designant, puta ver.gr. quod reparauerit mundi ruinas per lapsum Angelorum mundo illatas; quod sit Deus et homo, expectatus à gentibus per plura annorum millia; quod ejus conceptio, et natiuitas sint contra legem ordinariam; quod ejus aduentus fuerit per astra prædesignatus, et certo anni tempore præfixus; quod fuerit nouæ legis Institutor, et noui populi Parens; quod totius orbis peccata in se susceperit deuouendo se cœlo in victimam pro eorum expiatione; quod sit exemplar omnium virtutum, atq; in primis Justitiæ et charitatis; quod sit Auctor reformationis, seu regenerationis; quod ejus legi et imperio totius orbis gentes subjici debeant; quod boni a malis ab eo secernendi sint, illis in cœlum, his in infernum abeuntibus, singulis debita meritis suis præmia æternum consecuturis.

1

Mundi corrupti ruinæ per Redemtorem reparatæ in Sinicis traditionibus consignatæ. Auctor Speculi l.2. c.19. de Tum Kinensibus et Sinis ait: ngue hoam, siue Niu hoam, hoc est Regem vel Reginam cœli lapidem capiti suo imposuisse ac cœlum resarcisse: nam B. Virgo per Christum, qui dicitur petra, et lapis angularis, cœlum nobis reparauit. Adde quod veteres dicebant Deum esse utriusq; sexus.

Hoai nan çù jam sæpius supra citatus eleganter describit, quomodo Niu quá, vera Redemtoris figura, liberauerit mundum a cladibus ~~portentosis~~ ipsi per peccatum illatis et cœli, et terræ ruinas resarciuerit. Olim, inquit ille Philosophus, quatuor terræ cardinibus euulsis nouem orbis regionibus dehiscentibus, perrupto cœli tecto, fractâ terræ superficie, igne inextinguibili, et aquâ contineri nescia mundum veluti certatim deuastantibus, feris orbem depopulantibus, tunc prodijt liberatrix, siue liberator Niu quá, qui quinq; lapidum preciosorum ope (hoc est Diuinis suis virtutibus) reparauit cœli ruinam: abscindit crura Leuiathan monstri tartarei ad supplendos quatuor terræ cardines: occidit nigrum draconem ad pacificandum mundum: aggessit cumulos cinerum ex arundinetis ad impediendam iniquitatum eluuionem: atq; his cladibus sublatis, nouus et optimus populus veluti regeneratus cœpit reuiuiscere. 三

Hinc plane consulat liber Lô xe, breuius quidem nec minus clarè mundi liberationem sic describentis: Niu Quá resarciuit ruptam cœlestis tecti portionem, sagittis spurios soles e cœlo dejecit, debellauit et occidit Cum Cum (figuram Luciferi) pacificauit totum orbem, et regenerauit omnes populos. 四 五

Liber yě Kim symbolo Kien quá, annuntians orbi vniverso maximam felicitatem, cum legio draconum conspicitur sine capite, manifeste alludit ad id quod ex Hoai nân çù relatum est de occisione nigri draconis seu tartarei.

In mayno

2

In magno Commentario Tà çiuen libri yě Kim sien tiēn, et heú tiēn, hoc est 1.ae creationis mundi, et ejus reformationis diuersitas, repetitur ex duplici Qua, nempe ex Kien (cœlum) quod est symbolum Monarchæ et Patris, et ex Chin (tonitru), quod est symbolum Domini Gubernatoris et Filij. Ex hoc commentarij magni textu, si cum debita diligentia perpendatur, facilè intelligetur eo manifeste indicari in primo mundi statu, et naturæ integræ primordio orbis vniuersi regimen tunc fuisse penes Deum Patrem, omnia tunc veluti per se regentem: sed post peccatum, hoc est in corruptæ naturæ statu Imperium et administrationem mundi, a Deo Patre demandata esse Filio suo Unigenito consubstantiali, æterno, et vero Deo, sed per Incarnationem homini futuro.

Mundi Reparator Dei Filius verus Deus et verus homo in Sinicis traditionibus consignatus.

Trimegistus in Pimandro. Dic age, quis est ~~reparaturus~~ regenerationis Auctor? Dei Filius homo unius voluntate Dei.

Profundo huic magni Commentarij sensui ~~planè consonare videtur~~ mirum in modum favet Expositor libri yam çu his ferè verbis. Recondita doctrina, ait, in cœlo est Supremus Spiritus, atque hic est Creator omnium Dominus. In uno Sancto est etiam Spiritus, qui idem est Legis Diuinæ caput. In utroque autem unus et idem est Spiritus.

Sed catholico Theologiæ Christianæ sensui planè consonare videtur locus veteris Commentarij Co Leam in librum Chun cieu, dum de Diuino Reparatore loquendo ait; hunc compositum esse ex yn et yam; nec non cœlesti substantia, hoc est ex anima, et corpore Diuinitati unitis, atque adeò dici posse Filium cœli, nempe Dei Patris sine Matre, et Filium (virginis) Matris sine Patre.

Sed ne quis existimet, me hunc Virginis Filium de meo sine auctoritate supplevisse, consulendum est vetustissimum, et magnæ auctoritatis Vocabularium Xue ven, ubi exponit rationem cur mundi Reparator per xin xim expressus (id est Deus homo) vocetur Tiēn çu, Filius cœli, seu Dei; quia, inquit, ejus Sancta, et Diuina Mater a cœlo, seu Spiritu Diuino obumbrata hunc genuit.



+ Cognominis

Commetarius Xe san Kim in librum Chun cieu hanc sacram doctrinam plurimùm elucidat dum dicit = Ex unione duplicis naturæ, nempe Diuinæ et humanæ prodire Filium cœli, seu Dei, qui est cœli et terræ Dominus Tiēn ti chŭ chù.

Cum iuxta ea, quæ antea obseruata sunt de rationibus symbolicis numerorum Sacræ Cabalæ, veteres Patriarchæ sub ijs ænigmaticè tradiderint profundissima Religionis mysteria; hîc diligenter obseruandum est, quemadmodum monas seu unitas apud Cabalistas est primum et adæquatum principium generationis omnium numerorum; et ideo dicitur symbolum Dei Patris, qui solus nullam habet sui originem, et est prima origo omnis productionis, tam in Diuinis, quàm in creatis: ita dyas, seu binarium esse symbolum 2.æ Personæ Diuinæ, seu Dei Filij; quatenus Incarnatione sua factus homo Deus, sit principium primum, et adæquatum regenerationis hominum, seu reformationis mundi cái çao chŭ chù. Si accuratè perpendantur duo textus Sinici hîc à me allegati in quaternione Sinico hîc adjuncto, quorum unus est Sum çù, alter ex recenti vocabulario Pin çù çieu, facilè intelligetur veteres Sinarum traditiones ijsdem rationibus numericis insistentes, principium reformationis mundi a principio primæ ejus productionis distinxisse, et quidem modo Catholicæ Religionis sensui plane consono:

In ueteri collectione 13. librorum canonicorum extat hæc sententia de mundi Reformatore maxima consideratione digna = yě gin Tiēn çù, hoc est ad Verbum, cœli Filius unicus in suo genere = sed si consulatur expositio huic subjecta, videtur veteres Sapientes, hâc voluisse designare Dei Filium incarnatum, qui quatenus Deus nobilitate sua omnia transcendit; et quatenus homo factus est omnium creaturarum humillimus, atque inter homines verè unicus sine ullo peccato et defectu, Ki yûm vû Kiên, qui quidem sensus præclarè confirmatur hoc textu libri yě Kim, qui de illo heroico, ac Diuino viro agens ait, ejus virtutem esse cœlestem simul et terrestrem, hoc est propter utriusque naturæ Diuinæ et humanæ unionem, eam esse summa humilitate, et summa celsitudine temperatam, et supremum perfectionis gradum obtinere.

Idem fusius, et magis singillatim confirmatur ex innumeris locis, quæ passim occurrunt in libris canonicis, et eorum Commentarijs cùm antiquis, tum modernis de Sanctis Regibus Xun, Ven, Vam &c., quos patet ex eorum virtutibus humanam sortem transcendentibus et Diuini Reparatoris virtutibus simillimis, et varijs alijs adjunctis, veras esse ipsius figuras, et heroicas IESV Xti imagines, naturæ Diuinæ et humanæ unionem hypostaticam referentes.

De Rege Xun id manifestè patet primò, cum ex libro Xu Kim videatur esse suppositum Theandricum ex diuina et humana natura conflatum, diuina quidem, nam unus è quinque Ti, seu Supremis Imperatoribus, quos fuisse quinque nomina, seu figuras unius ueri

unius veri Dei Xám ti, ex Doctoribus criticis inter Sinas ostendimus: humana verò, nam fertur esse Filium Co Sieu, hoc est viri ~~cæli~~ cæci, et vecordis, quem supra insinuaui esse figuram Adami per peccatum veluti obcæcati.

Præterea liber Xu Kim exhibet Regem Xun tanquam Pontificem Supremum, et omnium sacrificiorum Præsidem, et unicum dignum qui ea offerat Supremo Imp.ri Xám ti; quia scilicet est ejusdem cum ipso naturæ, ut expressè fert ipse textus Xu Kim = Cin yū Xám ti, ab Interpretibus perperam intellectus. Præterea Commentarius Gě Kiam, hunc Xu Kim textum exponens, vocat Xun Tiēn çù, hoc est Dei Filium, atque eum in cœlo, seu à cœlo mandatum accepisse, ut esset Sacerdos (in æternum), et Dominus cœli terræ, et omnium Angelorum. Qua expositione quid congruentius excogitari potest Christianæ Religionis sensui de Diuino Reparatore

Quod de Rege Xun seu Tien çù cœli Filio modo diximus, idem pariter dicendum de Regibus Ven vâm, et Vû vâm, qui quidem in pluribus librorum Xi Kim et Xu Kim locis, tanquam duplex, et diuersus Tien çù seu cœli Filius exhibentur: sed Interpretes veteri ac moderni re ritè perpensâ saepius confundunt, habentque pro uno ac eodem Tiēn çù, qui nullâ re differat a cœlo immateriali seu Xám ti = Ven vâm, Vû vâm Kiai yě Tiēn, Ih y. Tiēn ciě xi Ti: Ti ciě xi Tiēn. Unde licet legatur in libro Xi Kim de Ven vâm, quod semper sit à dextris uel sinistris Xám ti; indeque argui posse videatur dominorum diuersitas; non alia tamen ex eo colligi debet, quam quæ nobis innotuit interesse inter Deum Patrem Creatorem cœli, et terræ, et inter Filium ejus vnigenitum mundi Redemptorem; postquam Christus ad reuocandos Iudæos a suis erroribus circa Messiam, eos docuit genuinum hujus Psalmistæ textus sensum = Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis =.

+ Xtum

Cujus loci cum loco Xi Kim de Vû vâm sedente à dextris, et à sinistris Xam tí conformitas, clarè confirmatur ex Commentario Gě Kiam, duplicem libri Xu Kim textum exponente de Ven vâm, seu Vû vâm ob eximiam suam virtutem inter omnes electo, ut esset non solum omnium populorum Rex, loco Regis Cheu ab eodem cœlo rejecto, ob ejus inobedientiam, quem antea exhibuimus, ut figuram primi Regis et Parentis generis humani, nempe Adami prævaricatoris, sed etiam ut Supremus hominum et Angelorũ Dominus Xin gin chŭ chù.

Cùm ergò Vû vâm ad tam eminentem gradum à cœlo præelectus feratur, non mirum, quod expositio veteris unius textûs libri Xi Kim memoret singularem prærogatiuam natiuitatis Vû vâm, quæ videatur alludere ad ipsam Incarnationem, et natiuitatem veri Tiēn çù, seu Filij Dei; sed ejus eximiam et perfectam figuram cùm idem liber Xi Kim exhibeat in persona Heu çiĕ noui populi Parente, et veluti Rege et Rectore, satius erit nunc de hoc paulo fusius, et seorsim dicere

Ad persuadendum Sinis gentilibus sine magna difficultate (Diuina tamen aspirante gratia) incomprehensibile, ac creditu difficillimum Mysterium incarnationis et Natiuitatis Verbi Diuini, nil certe aptius et clarius desiderari posse videtur, quàm quod legitur in ipsorum libris, maxime in libro Odarum Xi Kim de conceptione et natiuitate Heu çiĕ: cum, siue ejus principium, qui est ipse Xam ti, seu Deus, siue ejus Matrem, siue ejus personam, munus, gesta, ~~potestatem~~, cultum, siue omnes circumstantias temporis, loci, &c. quæ ejus in mundum aduentum concomitatæ sunt consideres non potest non agnosci tanquam pulcherrima, et verè allegorica descriptio Christi in mundum aduentus prophetico exarata penecillo. Lectio et examen textuum quorumdam ex libro Odarum, et ex aliquot Commentarijs in Quaternione Sinico huic adjuncto sufficient, quantum autumo ad illud euincendum. Nunc singula breuiter perpendamus. Initium ducamus ab ejus Matre Augustissima, quam liber Odarum agnoscens in cœlesti signo virginis (Ini cum) spicam triticeam, verum Heu çiĕ ejus Filij, sicut et Christi, symbolum, gerentis; eamque suspiciens tanquam virginem sanctam omnis maculæ et labis expertem, dignam prædicat, quæ ipsummet Xam tí, seu Deum (incarnandum) conceperit (Xám ti xi y), et post completum à conceptione solitum mensium numerum, eum in mundo ediderit sine ulla virginitatis læsione (instar ovis agnellum sine ullo dolore et difficultate parientis), sub nomine Heu ciĕ, per quem orbis vniversus fuit omnimoda felicitate cumulatus.

+ posteritatem

Auctor Speculi l.4.c.16. ubi de virginali Christi conceptione, hæc habet = Hujus futuri mysterij antiqua inter gentes traditio fuit. Hinc Plutarchus in Numa inquit = non absurdè reputantur Ægyptij degerere, quod nihil prohibeat Spiritum Dei in mulierem illapsum propria generationis indere. Et :: non æstimo esse ab

Pleraque hîc relata sunt de Sanctissima Matre Heu çiĕ, quamuis perfectè conueniant Virgini Dei Matri: videntur quoque pariter conuenire antiquæ Ecclesiæ seu Congregationi Fidelium sincero corde Deo seruientium et Diuinum Reparatorem continuis votis et sacrificijs agnorum, et tauro=

esse absurdum Deum non humano more cum Muliere congredientem, sed sanctiore afflatu contactuque eam Divino semine implere. Et Macrobius l. 1. in Somnium Scipionis paragr. 6. Nulli aptius jungitur Monas incorrupta, quam Virgini. Certe apud Rhios cernebatur Sacellum dicatum Palladi Virgini Matri. Romæ quoque aliud erat simile dicatum Vestæ Matri Virgini: Et et Favorinus vocant Matrem Deorum Sacram Virginem. Sed quænam est illa Virgo et Mater Deorum, quam veteres vocabant Maiam? nonne est Maria Virgo et Mater Dei, quam per traditionem Hebræorum didicerant parituram JESUM Xtum Filium Dei? quod mysterium, ut sacratius et occultius foret, in utroque nomine Jesu, et Mariæ tacebant unam litteram scilicet sch in JESU, et r. in Maria.

Boetius testatur repertam fuisse Laminam auream in Platonis tumulo, in qua hæc verba insculpta erant: Credo in Filium Dei nasciturum de Virgine, passurum pro humano genere, et die tertiâ surrecturum. Ut tandem (inquit Rapinius lib. de Effig. Jesu Xti tr. 1. c. 11.) hoc admirandum salutis mysterium nobis creditu facilius foret, Deus à mundi creatione, non tantum per figuras et prophetias, illud nobis prænuntiavit, sed etiam præfiguravit in ipsamet natura triplici, (Tien, ti, gin) cœlesti, elementari, et viuente, appones virginalis conceptionis insignia in eminentioribus locis Palatij mundi, quod Filio suo de virgine nascituro parabat, quasi præludens Deus in ipsa natura, et prænotans, quid in fine sæculorum erat acturus pro humani generis reparatione; quid enim aliud indicare voluit per gygantem illum stellatum extensis manibus genuflexum, et altero pede calcantem draconem, nisi JESUM, qui ut gygas exultauit ad currendam viam; ut Herculus verus monstra inferni domuit: in horto Patrem genuflexus orauit; cui ideo debetur victoriæ corona, quæ etiam cernitur in firmamento composita ex novem micantibus stellis, quæ sunt inter illum victorem, et draconem.

An non etiam signatur ejus Mater per constellationem Virginis tenentis spicas in manu, et lugentis mortem sui patris et filij pariter: Patris, inquam, in quantum Deus est; Filij in quantum homo, qui seipsum erat nobis daturus sub specie frumenti. In qua constellatione Albumazar Chaldæus tr. 6.:: vidit aliud signum primum explicans his verbis. Ascendit, inquit in 1.ª facie illius signi Virgo pulchra, et honesta habens in manu sua duas spicas, nutrit puerum, et vocat ipsum puerum quadam gens Jesum, et ascendit cum ea stella virginis. Addit Albertus in speculo apud Sixtum Senensem Bibliot. l. 6. Nos autem scimus, quod sub Ascendente natus fuit Dominus Noster JESUS Xtus.

Hæc satis sint de insignijs Xti conceptionis virginalis in cœlesti natura. Quoad elementarem et viuen-

et taurorum suppliciter petentium; quibus quidem votis et sacrificijs, maxime in æquinoctio verno et solstitio hiberno Divinæ Incarnationi et Nativitati destinatis temporibus offerri solitis, pro obtinendo cœli Filio Deum inter et homines Mediatore. Altera Oda libri Xi Kim ait: Kiam yuen Matrem Heu çie, meditando vias heroicas adventus Salvatoris, et alijs Divinarum virtutum vestigijs sollicitè insistendo, tandem a cœlo suum hunc Filium desideratum gentibus obtinuisse, atque utero virgineo concepisse. Eodem die contigit adventus yuen niao, seu hiuen niao, hoc est avis mysticæ, nempe in æquinoctio verno (quo Spiritus Sanctus per hanc Avem pacificam adumbratus hoc magnum mysterium divinâ suâ obumbratione adimplevit). Et post revolutionem decem ætatum a Sybilla prædictarum, ad quas manifeste alludit liber yĕ Kim Chun quá ab Interpretibus Xi Kim in hac oda citatus his verbis = Virgo quatenus Virgo non parit Filium, sed post decem annos (magnos) virgo concipiet, et pariet, hoc est virtute supernaturali et Divina, ut ipsi Auctores magni Commentarij Ta çiuen præclare observarunt dicendo, priore Odæ parte exponi hujus conceptionis felicitatem, posteriore verò ejus Nativitatis miraculum; et quemadmodum conceptionis principium est ipsum cœlum, seu Deus, non mirum esse debere, quod ejus Nativitas sit præter, aut supra legem humanam: atque adeo utramque non esse supra fidem.

Quin et glossa, seu antiqua expositio libri Odarum, utriusque credibilitatem conatus astruere exemplis ab ipsâ naturâ petitis. Animal Kilin (genus Monocerontis, quod in Scriptura vocatur: Filius unicornium, et est symbolum Salvatoris apud Fideles (quemadmodum apud Sinas est symbolum Sancti sanctorum) habet modum nascendi valde diversum à cane, ove, et cæteris animantibus: draconis generatio nil habet simile cum cæteris ex genere squamato, seu testaceo: si hoc ita est, quid mirum si generatio viri sancti, cujus natura est cœlestis et terrestris, seu theandrica, sit diversa a communi hominum generatione.

Huic consonat expositio Chimy in collectione Xe san Kim, seu 13. Librorum canonicorum refellens eos, qui hunc supernaturalem conceptum et ortum Heu çie referunt inter apocrypha, ostendens Heu çie revera habuisse matrem sine patre, hoc intelligendum de heroibus, qui sunt figuræ Messiæ.

Aliæ circumstantiæ nativitatis Heu çie præclare similiter quadrant cum Nativitate Christi Redemptoris, puta v. gr. id, quod liber Odarum memorat de eo, nempe ubi natus est, repositum esse in humillimo loco, tan chi chi ngai hiam, et cognitum solum à pecoribus, seu pecorum custodibus tan nieu, yam fi çu chi. Sed præcipua Heu çie cum Christo convenientia in eo potissimum elucet, quod habeatur pro semine, et satore cœlesti

et viuentem, Salamandra nascitur è Vesta virgine, seu ex igne, et igne nutritur. Ulteres, teste Ambros. l. 5. ... c. 20. ex aere virgine concipiuntur. Apes omnes virgines nascuntur de matribus virginibus secundum omnes naturalistas. Certum est uniones produci è rore cœlesti per solis radios in concha virgine.

Concludamus ergo cum Anastasio Sinaita l. 5. Hexameron. quod si omnium creaturarum vilissima, scilicet vermis sine semine natus est ex pinguedine terræ, præfigurans uterum virgineum Deiparæ gloriosæ, attestante Davide Psal. 21. in Xti Persona, et dicente: Ego sum vermis, et non homo: hoc est sine semine generatus, sicut vermis, ne incredulus fueris de præstantissimis, quod fuerint omnes figuræ Xti:: teste August., docebunt te volatilia cœli:: narrabunt tibi pisces maris possibilem esse conceptionem virginalem Xti Dei, cùm plures fiant creaturarum conceptiones sine semine.

4 Mundi Reparator pro omnium populorum peccatis se devovens cœlo in victimam adumbratus in persona Chimtam.

Auctor speculi l. 14. c. 5. hæc habet. Plato Dial. 2. de Republ. præcognoscens Xti passionem ait: Justus cædetur, torquebitur, et vincula patietur. eruentur illi oculi: atque demum omnia mala perpessus in crucem tolletur.

Eodem c. 5.° Ægyptij sub imagine Serapidis, cujus capiti crux erat apposita, Xtum Messiam venerabantur, dicente Prophyrio in l. de Oracul. resp. hoc nomen fuisse inditum Deo, qui dæmonibus imperabat. eorum vim, et furias reprimendo, et homines ab eorum tyrannide liberando; cui etiam nominis convenit etymus: nam Serapis idem est apud Ægyptios, quod Theraphim: Theraphim autem, aut Thauraphaim interpretatur signum restaurationis.

+

cœlesti, novi populi Parente Restauratore, universalis et novi Sacrificij hominum peccata eluentis, et cor Xam ti summæ suavitatis odore recreantis Institutore, ut lector attendens ad cæteros textus Sinicos, sive adjunctos facillimè intelliget.

Demum pro coronide addendum, quod Heu çie, quemadmodum Ven vam, et vu vam, de quibus supra, similiter gaudeat cœli et terræ Domini titulo: unde quotiescumque olim sacrificabatur cœlo, seu Xam ti tanquam Supremo terræ Domino, tunc ipsi adjungebatur Heu çie; et ejusdem sacrificij ritu, tanquam ipsi æqualis, colebatur uno eodemque sacrificio instituto ad recolendum simul creationis, et reparationis beneficij memoriam, et debitas grates referendas utriusque Auctori.

4 Mysterium adorandum Crucis, seu hominis Dei, pro mundi peccatis in cruce instar victimæ in altari immolati; quamvis tam multis ab hinc sæculis Judæis videatur scandalum, et Gentibus stultitia, nihilominus (quæ est Sinicarum traditionum excellentia), et in ijs reperitur egregia hujus Divini, et incomprehensibilis mysterij figura in persona Regis Chim tam jam dudum in ijs agnita, non solum ab omnibus Missionarijs Literarum Sinicarum peritis, qui illam felicissimo cum successu semper adhibuerunt ad suadendam gentilibus Sinis hujus Divini mysterij sublimitatem; sed etiam ab omnibus Imperij Sinici Aulæ Magnatibus, cum Yam quam sien Sanctæ Legis infensissimus hostis, eam extinguere molitus est, frustra conando hoc Divinum Mysterium omnium irrisioni exponere, ut paulo fusius infra in altero Paragrapho erit dicendi locus.

Si modum nascendi Regis Chim tam, sive in libris Xi Kim, Xu Kim, Mem çu, sive in Annalibus descriptum consideres, nonne videtur planè cœlestis et Divinus; scilicet ibi refertur ejus Mater, cujus virtutes et dotes in cœlum extolluntur, non iuxta legem ordinariam, sed virtute cœlesti facta gravida, eum peperisse, et quidem tempore longè antea à cœlo determinato, unde appellatus est Tiēn y, et Tí y, veluti ad designandam cœlestem ejus ac Divinam originem.

Si habeatur ratio finis, propter quem Xam ti hunc dederit hominibus, libri canonici, et Expositores clare dicunt fuisse, ut Chim tam esset Rex, Legislator et fidus minister, per quem Xam ti suam gratiam diffunderet in quatuor mundi partes, qui finis accedere videtur ad eum propter quem Deus nobis Filium suum unigenitum dedit, voluitque eum esse Mariæ Virginis inter cæteras mulieres sibi dilectæ filium. Quin et glossa libri Xi Kim vocat Chim tam filium filiæ Xam ti: Ti liĕ Kî nìu chī çù. Prætorea, quod summâ observatione dignum est, à cœlo donatus dicitur, ut substitueretur perfido Regi Kie (quem propter suam in cœlum inobedientiam fuisse propriæ familiæ et Regni destructorem; et in eo Adamo prævaricatori simillimum supra retulimus), et ut esset Regenerator, et Restaurator populi Gúei sem min chū, eumque liberaret à multiplici, universali, et gravissima calamitate, quâ oppressus gemebat à multis annis. Dico à multis annis, non propter sensum literalem septem annorum continuæ siccitatis et sterilitatis, quibus consartinatores temporum ferunt terram tunc fuisse miserè afflictam; sub eo mihi videor veluti cum certitudine deprehendisse longè præclariorem sensum, nempe figuratum, seu allegoricum de ariditate et sterilitate cordis humani Divinarum gratiarum rore privati, et omni imbre cœlesti destituti, ex quo exurens cupiditatis ventus Typhonio suisteri flatu in primi Parentis corde excitatus, Divinum omnium virtutum humorem exsiccavit usque ad adventum Xti Redemptoris veri omnium aquarum viventium, et cœlestium gratiarum fontis. Quæ temporum intercapedo per proprias doctrinæ yĕ Kim regulas deducta ad debitas mensuras invenitur præcise complecti septem majores revolutiones septem veluti annos, summæ siccitatis, et sterilitatis constituentes, à qua genus humanum non potuit liberari, nisi per mortem, et sacrificium victimæ Theandricæ cœli portas per tot sæcula clausas reserantis, et effuso Divinæ gratiæ imbre totius orbis terrarum peccata eluentis. Cujus Divini beneficij quis umbram, vel figuram non agnoscat, in copioso illo, et salutari imbre, quem fert vetus chronicum à cœlo obtentum

obtentum subitò fuisse per orationem et sacrificium Chim tam se in victimam devoventis pro peccatis omnium populorum.

±

Certe quicumque cum debita diligentia conferet utrumque libri Odarum, et veteris chronici textum cum hoc Divi Pauli ad Hebr. c. 10. è regione ad marginem transcripto, haud dubiè utrobique agnoscet, si non perfectam Divini spiritus identitatem, saltem maximam inter eos affinitatem, simulque percipiet genuinum, ac profundum sensum utriusque textus libri yě Kim ex symbolis Siun quá, et y quá in quaternione Sinico allegati, quo ænigmaticè propalatur Regis Chim tam, seu potius Divini Reparatoris virtus se ad humillima quæque abjicientis, et vitam propriam sponte ponentis, ut nobis gloriam et vitam æternam obtineat.

Paulus ad Hebr. c. 10. Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi: Ecce venio.

±

Hîc obiter observandum per illa verba = Sañ gîn him, ỹ siun yě gin = intelligendas esse tres substantias, quibus constat sacrosancta Salvatoris Persona, nempe ejus Divinitatem, ejus Sanctam animam, et ejus sacrum corpus, quod unicum occisum est pro salute generis humani. Siun yě gin.

Prolixior essem, si vellem percurrere alias similes, et eximias figuras, quas Sinicæ traditiones nobis exhibent, Divini Redemptoris, qualis est v. gr. persona Magni Regis Yu, cujus virtute aquæ orbem terrarum operientes, dicuntur per excavatos fluminum alveos in mare derivatæ, et mundus ab illa universali plagâ, per inertiam Hoen in mundum inductâ, liberatus. Quæ historica narratio, si secundum singulas circumstantias, maximè in libro xu Kim exaratas, cum requisita sagacitate perpendatur, in ea nullo labore agnoscetur perfectissima et accuratissima allegoria, seu figura universi generis humani liberati à generali diluvio iniquitatum, culpâ primi Parentis in totam per omnes generationes posteritatem illapso Divina virtute Xti Salvatoris, stagnantes ubique peccatorum sordes in profundum abyssi voraginem confluere cogentis.

Cum tota Sinarum lex et doctrina sit viri Sancti, seu mundi Reparatoris propria, cujus tam multæ extant figuræ in vetustis ipsorum monumentis, extra dubium videtur, hunc olim à Sinis præcognitum, desideratum, et cum sollicitudine expectatum fuisse. Idque manifeste patet ex duplici textu libri Chum yum, quod est monumentum profundis Sacræ doctrinæ mysteriis refertum, ubi Confucius, cujus ætas præcessit ætatem Xti quingentis et amplius annis, extollens Sancti viri legem, ait eam non antea in mundum stabiliendam, quàm ipsemet Sanctus advenerit = Sai Ki gin, ỹ heú him. Et alio loco ait, hunc firmiter et sine ulla differentia expectari per centum generationes pexi, hoc est per ter mille, et trecentos annos, nam iuxta Herodotum apud veteres una generatio erat 33. annorum, quæ est mensura annorum plenitudinis Xti, et coincidit præcise cum numero proprio viri Sancti, cujus sacræ doctrinæ systema continetur in libro yě Kim; siquidem numerus viri Sancti proprius conflatus est ex tribus numeris Tien hoâm, Ti hoâm, Gin hoâm, hoc est 13. 11. et 9. cæli, terræ et hominis in unam summam collectis, ut ostensum est in primis capitibus expositionis sensus extimi doctrinæ yě Kim.

13 Tien } Hoam
11 Ti
9 Gin
3.3. 3300
333
pexi – 100
2220^{m}
12^{m}
26640^{m}
666 | 60.
336 | 6000.
2016000.
360 | 5600.

Et quoniam incidimus in hanc singularem periodum, quæ secundum Confucium viri Sancti adventum tanquam proprio temporis charactere præsignat, iuvat hîc breviter quædam referre notatu dignissima, quæ Deo specialiter adjuvante, in ea ab hinc multis annis mirabundus observavi.

Author Pauli l. 2. c. 20. notat Martinius l. 4. Hist. Sin. Confucius prævidit Verbum Carnem facturum, imo et annum quo illud futurum esset.

Scilicet hæc 330. annorum solarium exactorum, seu centum generationum periodus, quam sacer numerus 33. mensuræ plenitudinis Xti metitur, unà cum altera periodo annorum 2220. similiter solarium, sed aliquâ minutiâ certâ excedentium, quæ resolutæ in menses seu numerum 26640.^{m} continet præcise unum cyclum 60.^{vium} periodorum numeri bestiæ in Apocalypsi notati, hoc est 60. periodos, singulas mensium 666.^{m} hæ, inquam, utraque cùm viri Sancti, tum bestiæ periodus, adæquatè dividunt intercapedinem temporis elapsi à prima die creationis mundi, ad diem ejus reparationis per Christi mortem consumatæ, hoc est, periodum integram dierum 2016000., seu annorum sabbathicorum 6000. æquatrium 5600. Solarium 5519 $\frac{m}{2}$ quos ex systemate doctrinæ temporum libri yě Kim, ei exactè competere demonstravi. Ita ut periodus bestiæ initium habeat in ipso mundi exordio, cum scilicet Lucifer, Draco ille superbus ob suam rebellionem è cælo ejectus tyrannidem suam cœpit in terra exercere, et ejus finis præcisè cadat in tempus, quo (iuxta 70. Interpretum de mundi vetustate opinionem) idololatrica virus orbem infecit, Babylone imperii Sathanæ sede fundatâ. Periodus verò viri Sancti, seu Messiæ, qui venit in mundum ad destruendum imperium Sathanæ, initium ducat à tempore ipsius fundationis Babylonis, et ejus finis incidat in diem qua Dominus ille liberator moriendo in cruce, bestiâ infernali occisâ, et principe hujus mundi foras ejecto, cœpit Regnum Dei Patris

Regnum Dei Patris inter homines incœpit stabilire.

+

Sed quod in hac viri Sancti gentium expectationis periodo mirere magis, illud est, quod summa cum accuratione, et elegantia quadret cum pervetusta, et mystica illa figura Ho tu, cui tota Sinarum Sapientum antiquitas adventum viri Sancti affixit, tanquam proprio characteri, ac symbolo, iuxta illud celeberrimum Confucii in libro Lun yu effatum Fum niao pú chí; ho pú chŏ tu; ngò yỳ fu. Fidelium sincero et anxio animo expectantium vota et suspiria significans. Atque ut intelligas quomodo hæc viri Sancti propria periodus centum generationum quadret cum figura Ho tu: numerum annorum in ea contentum, nempe 3300. divides per 55. quæ est summa decem numerorum elementarium, hoc est quinque parium, et quinque imparium illam componentium. Unde intelliges in hac centum generationum periodo, tot præcise contineri cyclos solales, quot figura Ho tu continet unitates.

Numeri figuræ Ho tu iidem sunt, ac numeri figuræ Zephiroti, cæ systematis Cabalæ Moysis.

Sed cum hujus periodi initium, ut modo observatum est, solum respondeat tempori fundationis Imperii Babylonici: ne quis existimet figuram Ho tu (quam circa mundi primordia ortum habuisse arbitror, ut esset figura adventus Messiæ charactiristica) cum cœpisse illum præsignare nisi à fundatione Babylonis; iuvat insuper ad confirmandam obiter divinam, ut ita dicam, numerorum doctrinæ yě Kim excellentiam, hîc ostendere, quomodo intra periodus dierum 2016000. seu annorum sabbathicorum 6000, quam ex certis libri yě Kim principiis pro certo intervallo temporis interjecti inter duas epochas creationis mundi et ejus reparationis assignavi, quadret diversimodè quidem, sed cum eadem accuratione et elegantia cum numeris ejusdem figuræ Ho tu.

Atque ut hoc pateat cum plena evidentia, observandum est 1.°, quamvis mensura ætatis plenitudinis Xti, habita ratione annorum, non nisi ad 33. excurrat, si tamen mensium habeatur ratio, hanc iuxta certiorem opinionem extendi ad numerum mensium 399. (hoc est menses tres super annos 33.) qui numerus videtur sacro mysterio plenus, utpote conflatus ex triplici septenario, seu 21. numero solari, in 19. lunarem, et aureum numerum ducto.

Observandum 2.° periodum integram dierum 2016000. seu annorum sabbaticorum 6000 à me assignatum pro justo temporis intervallo inter duas epochas creationis et reparationis mundi interjecto, si in annos solares convertantur, exhibere numerum 5519$\frac{1}{2}$ proximè accedentem ad periodum Constantinopolitanam seu Romanam epocham, quam Petavius noster, licet vulgatæ, et hebraici textus computum secutus, plurimi facit. Qui numerus in menses redactus, exhibet summam 66234.^{m} adæquatè divisibilem per 399. numerum supra determinatum pro mensura ætatis Xti in mensibus spectata, et habentem quotiente numerum 166. Unde intelligitur in periodo integra inter duas epochas interjecta, contineri minores periodos 166. singulas æquales numero mensium complentium mensuram ætatis plenitudinis Xti.

Observandum 3.° Veteres Sinarum Sapientes, iuxta legitima doctrinæ yě Kim principia in tota illa temporum intercapedine, quæ præcessit epocham reparationis mundi, semper distinxisse triplicem seriem, triplici legi seu viæ, nempe cælesti, terrestri, et humanæ respondentem, ita ut 1.ª et 2.ª nempe cælestis et terrestris, Sancti viri adventum præceperint, et competentibus cyclis ipsum præsignaverint; 3.ª verò, nempe humana conjuncta fuerit ipsius ætatis durationi, eamque adæquaverit, iuxta præclarum illud axioma, quod legitur in præfatione magni Commentarii libri classici Sú xu = Xim gîn uei sem, tao cái tien ti :: Xim gîn Ki sem, tao cái Xim gîn.

+

Observandum 4.° cùm figura Ho tu constet decem numeris elementaribus, quorum quinque sunt impares, et quinque pares; eamdem dividi in duplicem seriem, quarum altera, quæ est imparium vocatur cælestis, et summa ejus quinque terminorum sunt 25. altera verò, quæ est parium vocatur terrestris, et summa ejus quinque terminorum sunt 30: ac duæ summæ simul unitæ faciunt 55. qui est integer totius figuræ numerus, totusque reducitur ad quinarium, qui est viri Sancti symbolicus et characteristicus. et ideo hoc Hieroglyphico charactere exprimitur 十五.

Observandum 5.° ut habeantur omnes numeri characteristici tam cælestes, quàm terrestres totius periodi inter duas epochas creationis et reparationis interjectæ, triplicandam summam integram figuræ Ho tu, hoc est numerum 55. sive 十五, iuxta illud mysticum problema libri yě Kim = çan ù, y pien ù. triplicatione obtinetur numerus 165. æqualis triplo numeri cælestis 25, et triplo numeri terrestris 30. hoc est numeris 75, et 90.

1	2
3	4
5	6
7	8
9	10
25 +	30

Summa mensium totius periodi.
cyclus 66234.^{m}
ætatis Xti 399 | 166.

165 / 33 | 5 — çan 105 / ù 55 | 3

His prænotatis, jam ut ostendatur quomodo periodus integra temporis interjecti inter duas epochas creationis et reparationis, designet cum summa præcisione epocham adventus Redemptoris, cum epocha reparationis ab eo consumatæ: et quomodo ejus numeri exactè quadrent cum numeris figuræ Ho tu, nosque deducant ad claram intelligentiam sententiæ ænigmaticæ

ænigmaticæ modo citatæ ex præfatione magni Commentarij Ta ciuen xim gin vei sem vu, ex summa cyclorum mensium ætatis Xti contentorum in integra periodo supra inuenta; hoc est ex numero 166 tollatur tantum vnitas, respondens mensium circulo, quibus Diuinus Reparator uixit inter homines residuus 165. idem est præcise ac is, qui modo in 5.a obseruatione obtentus est ex triplicatione summæ numerorum figuræ Hô tú 55. et consequenter similiter habet 75. pro serie cælesti, et 90 pro serie terrestri... tien tao, ti tao. Vnde intelligitur post euolutam triplicem summam 55. figuræ Hô tú, hoc est post 165 cyclos mensium ætatis plenitudinis Xti euolutos, quorum 75. pertinent ad seriem cælestem, et 90 ad seriem terrestrem; mensem immediatè sequentem exhibere veram epocham aduentus Reparatoris, et 399.um post hunc mensem exhibere veram epocam Reparationis completæ per ejus mortem.

Hæc obiter delibasse sufficiat de virtute characterica figuræ Hotú, mundi Reparatoris aduentum præsignantis per utramq dictam ~~figuram~~ periodum, quarum posterior, à me ex certis principijs Fohianis constituta pro iusta mensura temporis interjecti inter creationem et reparationem mundi, Deo dante breui demonstrabitur complecti integrum systema doctrinæ temporum libri yĕ Kim. Prior uerò, quæ mihi videtur esse certa dimensio centum generationum, per quas Sinicæ traditiones ferunt virum Sanctum expectatum esse ante suum aduentum, Deo pariter adjuuante, demonstrabitur complecti alterum temporum systema in libro Chun cieu contentum, nec minus mysterijs plenum eo, quod in libro yĕ Kim jamdudum deprehendimus.

Propositâ figuræ Hotu, quam supra insinuauimus, excellentiâ, quid minon veteres Sinas (quorum integrum sacræ sapientiæ systema nititur mysticâ ac veluti Diuinâ hâc decem numerorum elementarium figurâ, sicut calaba Mosaica nititur sacræ decadi Zephiroticæ) hanc semper in summa æstimatione habuisse, tanquam tesseram aduentus viri Sancti certò præsignatricem: et ipsum Confucium morti proximum spiritu veluti prophetico Reparatoris mortem in morte Kí Lin prænoscentem suspirijs et Lachrymis spei ac desiderij sui feruorem testatum esse.

In ueteribus Sinarum monumentis fit mentio distincta triplicis phænomeni cælestis, sive Syderis, quod videtur manifestè pertinere ad natiuitatem Messiæ Saluatoris, eamq apparitione sua præsignasse. Et quæ de ijs narrant Sinæ videntur certò referenda ad stellam illam prodigiosam, cujus ductu tres Magi cognouerunt tempus, et Locum Natiuitatis Xti Redemptoris, eumq tanquam verum et vniversalem mundi Regem et Dominum in præsepe adhuc Infantem adorauerunt. Et si Sinicæ traditiones de hoc triplici phænomino ritè conferantur cum ijs, quæ Doctores Christiani in varias opiniones abeuntes, solent disserere de Magorum stellâ, videntur juuare posse ad conciliandam illam opinion~~um~~ discrepantiam, saltem quoad ea, quæ sunt majoris momenti.

± Si fides habeatur magnis Annalibus Cam Kien, Ta ciuen, et libris Han tien, Ven chi, Siu tien ven chi de re Astronomica sub Dynastijs Han et Siu in lucem editis; necnon libro Nui Kim vetustissimo de re medica monumento, et ejus expositoribus, primum ac præcipuum ex tribus illis phænomenis vocatur Kim sim, hoc est stella augusta, seu gloriosa: 2.m Kim yûn, hoc est nubes Lucida præsagians felicitatem: 3.m Ho sim, hoc est cometa. Primum nempe Kim sim, etiam appellatur Tê sim, hoc est stella præsagiens virtutem, sive Regem summa virtute præditum. Hæc porro stella Kim sim, non secus ac 2.a, seu Kim yun fertur in tota omnium temporum revolutione, non apparere nisi unica vice, Quám xí yĕ Kién, et quidem in eo Regno, in quo conseruata est notitia, et obseruantia ueræ Legis, yeù taó chi quĕ, hoc est in Iudæa; atq adeo olim Confucius harum traditionum memor solebat dicere, Virum Sanctum prodire debere in terra Occidentali: Sī fam yèu xim gîn, non uerò in Sinis, cùm a bis mille et amplius annis præcipui Doctores inter Sinas fateantur se amisisse intelligentiam suorum librorum canonicorum, quos reuerentur ut sacros, quod ueræ Legis cælestis puritatem in ijs contineri non dubitent.

Kim sim, quæ videtur fuisse è genere stellarum, et in stellifero ac supremo cælo formata, fertur fuisse formæ non vulgaris, hoc est quoad splendorem et molem, quam dimidiæ Lunæ æquiparare solent pu puon yuĕ; eamq productam tradunt ex tribus alijs stellis crocei coloris è diuersis regionibus in unam stellam coalescentibus; quod si reuera ita contigit, ut narrant aliquot Auctores Sinæ; quid aptius excogitari potest ad designandam unionem trium substantiarum in Persona Messiæ factam. Tradunt præterea hanc stellam esse signum perfectæ pacis Kim sim hí tai pim; eamq non secus ac Kim yûn, quod pariter habetur pro signo Regni pacifici, apparuisse temporibus Regis Xun, quem antea veluti pro Verbi incarnandi figura protulimus

6.
Sydus Messiæ Natiuitatis prænuntium non ignotum Sinis.
Auctor operis imperfecti hom. 2. in c. 2 Matth. asserit quorsdam populos orientales conseruasse sollicite scripturas, in quibus fiebat mentio de stella, quæ Xtum prænuntiatura erat.
Auctor Speculi l. 4. c. 16. ait, Plinius l. 2. c. 25. dicit quemdam apparuisse cometam specie humanâ effigiem Dei in se ostendentem. Forte de stella, quæ Magis apparuit Loquitur, de qua Calcidius, in Thimæum Platonis: recentem, inquit, Dei ortum stella eis indicauit, repertaq illa Majestate puerili, illam venerati sunt, et vota Deo tanto conuenientia obtulerunt

Auctor Speculi l. 4. c. 5. ubi de Xti Natiuitate ait, cœlum hanc veritatem testatum est, cùm circa tempus Natiuitatis in Oriente tres solis imagines ~~apparuisse~~ paruerunt, quæ in unum solem coaluerunt, ex Diod. l. 4. c. 7. et Plinio l. 2. c. 3. Lepido et Pansa Coss., quia Trinitatis Mysterium per Xtu manifestandum erat.
Ejusdem.

Ejusdem libri c. 17. similiter in Sinarum Regno, teste Martinio l. 10. multa acciderunt prodigia: ingens cometa visus est: audita uox est in Palatio Impris prorsus insolita pulsati tympani sonum referens adeo uehemens, ut usq ad extremam Palatij portam se diffuderit; et Impr Ngai suum mutarit nomen in Pim Hum, id est pacificum (pace tunc initâ cum Tartaris): sicut etiam Romanus Imperator Martij, uel potius Iani templo clauso, Pacis templum dedicauit, prouidentia mirabili; eo enim tempore id factum est, quo Christus Rex Pacificus in terras venit, pacem cælo soloq allaturus.

Ricciolus in Alm. ubi de maximis reuolutionibus et conjunctionibus Planetarum ait: ejusmodi conjunctionem (qualis est conjunctio trium superiorum planetarum) iuxta Arabes esse præsagium aduentus alicujus magni Prophetæ. Memorat talem conjunctionem, nempe Saturni, Iouis et Martis paulo ante ortum Xti contigisse anno 39. et 40. Iuliano, seu ante vulgarem Xti epocham 6.o et 7.o Hæc quia fuit vicina ortui Saluatoris, et stellæ illum Magis prænuntianti, occasionem dedit Keplero, ut in libro de noua stella in Serpentario, et in l. de Iesu Xti Natalitio probabilissimam crederet opinionem Laurentij Suslygæ Poloni annos 4. usitatæ nostræ epochæ addentis, atq asserentis Xtum natum reuera non anno 45., ut vulgaris epocha, et Kalendarium Romanum supponit, sed anno Iuliano 41., hoc est duobus annis post maximam conjunctionem; et stellam illam, quæ illuxit Magis, fulgere cœpisse in ipso maximæ conjunctionis Loco; Deumue hanc ibi incendisse, ut Magi, qui illam conjunctionem obseruabant, facilius stellam nouam deprehenderent atq adeo ista ut prænuntiando Filij sui aduentui deseruisset.

liber de re Astronomica supra citatus tradit Kim yun fuisse instar vaporis fumi, non tamen fuisse nubem. Hinc colligi potest hanc fuisse in regione sublunari formatam, et de genere meteororum sed formæ et splendoris non vulgaris, et valde humili situ, ut facis instar Magis Bethlehem petentibus viam splendore suo collustraret et suo motu dirigeret.

Præter Kim sim et Kim yun, Auctor libri Ven hien tum cao memorat 3.m quoddam phænomenum, quod et si sit de genere cometarum (hoei sim), et notetur apparuisse 2.a Luna 2.di anni Regni Ngai ti Dynastiæ Han, hoc est 4.or circiter annis ante Xti Natiuitatem ad eam tamen videtur pertinere: et hanc memorabilem epocham generalis renouationis mundi specialiter prænuntiasse non tam ob proximitatem temporis, quàm propter locum cæli, seu constellationem cæli Kien nieu (auriga, quantum mihi videtur), quæ assignatur a veteribus Sinarum Astronomis pro principio, et ultima meta reuolutionum septem planetarum, et ideo ut ait Auctor Sina, magnam et proximam renouationem significat, nouos mores sanctos loco veterum prauorum introducendo, Chû Kieû, pù sin Kém cài chĭ siam yè. Quod pulcherrimè consonat cum ijs, quæ memini me legere apud Ricciolum de magnis Planetarum reuolutionibus, referentem, si benè recordor ex Keplero, et quodam Auctore Polaco similem quamdam stellam eodem circiter tempore ortam ex magna conjunctione planetarum tanquam prænuntiantium mundi Reparatoris breui venturi in mundum. 十四

Si quidem genus humanum cælesti lumine in se extincto per superbiam et inobedientiam Deum grauiter offendens, naturam suam peruertit, sic Diuinæ gratiæ subtrahendo, et justam ejus indignationem incurrendo, ad cælestem, cui destinatus fuerat beatitudinem, viam æternum sibi clausit. Deus uerò è contra infinitâ misericordiâ commotus, ita dilexit mundum, ut nobis Filium suum unigenitum daret, tum ad nos reformandos, et cum suâ Diuinâ gratiâ reconciliandos, nostra omnium peccata in se ipsum expianda suscipiendo: tum ad nos uerbis et exemplis edocendos: hinc uetera Sacræ Sinarum sapientiæ monumenta, quæ ut jam supra insinuauimus, hoc unicum tradant infinitæ Dei misericordiæ argumentum; ubiq passim exponunt hujus Diuini Reparatoris virtutes, et opera tam multis, et tam diuersis, et elegantibus modis, ut volumina integra non sufficiant ad ea, ut conueniret, explananda. Nihilominus ad vitandam prolixitatem ex ijs non nisi paucissima attingam, prout occurrent, et quantum sufficere videbuntur ad præsens intentum. Pleraq autem referuntur ad Xím gîn, seu virum Sanctum, sub cujus appellatione libri canonici atq imprimis liber yĕ Kim totam mundi reformationis ideam et rationem continens, Diuinum mundi Reformatorem repræsentat.

Mundi Reparatoris virtus, et opera Diuina in Sinicis monumentis ubiq clarè expressa patent.

Ac 1.a quidem ei tribuit plenam totius regenerationis potestatem, Xím gîn chim nem, et per ipsum cæteris hominibus se reformandi virtutem, Pe sím yŭ nêm, quod præclarè confirmat Commentarius magnus Ta ciuen, dicendo Virum sanctum in reparatione ea operari, quæ uel ipse creator cum sua Omnipotentia per se operari non posse videtur. 十五

Deinde liber xu Kim, qui ut supra vidimus, loquendo de Primo Parente generis humani, dixit cum suâ inobedientiâ integram suam posteritatem perdidisse: idem loquendo de viro Sancto seu mundi Reparatore è contra ait, per ejus unius justitiam, et erga Deum fidelitatem, omnia mundi Regna liberata esse à peccato, et ad justitiam reuocata, yĕ gîn yuen leam vàn pam y chīn. 十六

Cum viri Sancti, seu viri Regeneratoris persona duas naturas Diuinam et humanam complectatur, non mirum, quod veteres sapientes Sinæ post suum Magistrum Fo hi, ipsi tribuant virtutem cælestem simul et terrestrem unà cum justitia et misericordia infinita, supremamq in eo nobilitatem cum summa humilitate suspiciant: et quod hunc proponant uniuerso orbi tanquam Magistrum generalem, et exemplar omnium virtutum y xîn, y yên Kiáo yŭ tièn hiá. Deniq quod in eo cognoscant potestatem remittendi peccata, eluendi maculas veteris originis, mores renouandi, et effrænatam iniquitatis libidinem coercendi; judicantes ejus mortem ad id planè necessariam, Xím gin pú xă, ~~ta~~ tá taó pŭ chĭ. Adeo ut nisi Lex viri sancti eò deuenerit, ut sit ludibrio sapientibus hujus sæculi, Diuina non capientibus (ut fit per mortem et opprobria, quæ libens suscepit), non debeat censeri Lex sufficiens, nempe ad regenerandas, et reformandas gentes, easq cum Deo reconciliandas. Quod Omnipotentis et Diuini Reparatoris opus eximiè exprimitur in ipso textu libri yĕ Kim super hexagrammate, seu symbolo Taí quá; sicuti generis humani peruersio, ejusq a Dei gratiâ alienatio similiter expressa patet in textu symboli Pí quá illius antagonistæ. 十七

antagonistæ, ut facile intelligent quicumque fuerint sublimi et symbolico hujus mystici libri stylo aliquantum assueti.

Quin et conversio Primi Parentis sub figura Regis Tai Kia ad meliorem frugem reducti per vires superhumanas viri Sancti, videtur satis clare expressa in libro Xu Kim: non secus ac reductio omnium gentium sub ejus dominium, quæ ibidem sub diversis allegoriis exponitur. Sed quod mirere magis, ipsamet ratio conversionis Gentium per allegoriam a piscatione ductam, et ab ipso Christo consecratam, Hoâi nân çù Rex Philosophus, qui Christi ætatem aliquot sæculis præcessit, ex antiquis traditionibus propheticis, ut videtur, acceptam et præeleganti stylo descriptam usque ad præsentem ætatem transmisit

P. Philippus Couplet in sua tabula Chronologica Monarchiæ Sinicæ de dicta eclipsi sic loquitur. Anno cycli 18.° Regni Quàm vù tí 3.° luna 3.ª die ultimo memorabilis eclipsis solis, cujus occasione vetat in codicillis in posterum uti nomine Xím (Sanctus). cùm dicant Annales eclipsim prævenisse tempus. An fuerit ea, quæ in morte Christi contigit, Astronomis examinandum relinquitur.

8\. Protentosa eclipsis, quæ contigit Christo pendente in cruce consignata est Annalibus Sinicis.

Author Speculi l. 2. c. 20. ex hist. Sin. Martinus refert anno 475. ante ortum Xti venatores Regis Lu extra portam urbis occidentalem animal rarum Kilin occidisse. Constantissima fama celebrabatur, cum visum esset hoc animal successurum magnæ Sanctitatis herbem summæ, quæ posset orbi contingere, felicitatis nuntium. De occisione Kilin, ubi audiuit Confucius, vigenti suspirio pectus conatiens effusissime flevit sive præ gaudio ob futurum Xti adventum, sive præ compassione supra futuram ejus passionem per Kilin animalis mansuetissimi occisionem figuratam

Antequam id per calculum Astronomicum cum desiderata evidentia demonstretur, interim id persuaderi posse videtur ex variis specialibus circumstantiis huic eclipsi adjunctis, quæ memorantur in diversis Sinarum monumentis, qualia sunt Supplementum Annalium et Chronicum Dynastiæ Han, quæ in quaternione Sinico allegavi: ubi dicitur hæc eclipsis fuisse ex genere illorum non vulgarium, quæ contingunt extra nodos et veluti per luctam seu conflictum Solis et Lunæ gë yuě pŏ xě. Insuper ibi memoratur Optimus Imperator Quàm vù tí tunc ex observatione hujus eclipsis cognovisse genus humanum reum esse coram Cælo multorum peccatorum, et ideo instar Imperatoris Chím tam ea suscepisse in sua persona, et concessisse toti Imperio Remissionem universalem.

Sed quod Autor libri Ven hien tum cao agens de hac eadem eclipsi ait, est adhuc magis characteristicum et veluti decissivum; nam citat alium Autorem expresse docentem tempore illius eclipsis, virum cælestem seu Divinum, hoc est hominem Deum occubuisse Tien gin gum, quod est veluti oraculum propheticum, cuidam ex eclipsibus solaribus libri Chun çieu subjunctum.

Cujus quidem oraculi certitudo præclare confirmatur ex alio oraculo veteri, eamdem pariter eclipsim evidenter præsignante, et ab insigni Philosopho Hoai nan çu memorato ante bis mille circiter annos. Quam eclipsim prædictus Philosophus affigit tempori luctæ Kilin, hoc est tempori, quo Sol justitiæ verus Autor vitæ per hoc benignissimæ indolis animal adumbratus colluctatus est cum morte, et mortis auctore, infernum et Dæmonem superavit.

9\. Virum sanctum omnium hominum caput ipsis viam ad cælum aperuisse, et verum arbitrum præmiorum æternorum bonis et malis debitorum Sinicæ traditiones testantur.

Prior Adamus inobedientiâ suâ pervertit totam posteritatem, viâ ad cælum ipsi æternum clausâ. Sed posterior Adamus viri Sancti nomine veteribus Sinis probe notus, si fides est vetustissimis monumentis, virtute sua cæli portam, et viam reseravit, aperiendo generalis conversionis originem, fecitque ut omnes sive boni, sive mali, debita singulorum meritis præmia æternum obtinerent, idque præcipue patet ex textu libri Xu Kim hîc allegato.

At si textus libri yě Kim ibidem citati diligenter perpendantur, nullâ operâ intelligetur virum sanctum omnium justorum caput, primum omnium instar Draconis penniferi, et obsequentis cælum conscendisse, et in altissimo loco super omnia sedem obtinuisse, quò quicumque ejus voci obsequentis in terra eum imitati sunt vitam cælestem ducendo, eum postmodum in cælum ascendentem instar nubium aquilium sequentur; qui verò ejus sanctam legem spernentes terrestrem vitam duxerunt in infimum terræ abyssum ibunt præcipites, sicuti aiunt ventos tygridem subsequi. Quâ justorum, et reproborum divisione factâ omnium mundi Regnorum, seu populorum sors sic statuta æternùm immutabiliter perdurabit.

Sed quò clarius percipiatur felicium, et infelicium utrorumque sortem iuxta traditiones Sinicas eamdem omnino esse cum ea, quam Lex Christiana docet, diligenter ponderanda sunt singula verba §. Hum fan seu compendii legis cælestis cœlitus traditæ Magno Regi yu ad reformationem totius generis humani, post diluviatam à facie terræ immensis virtutum ejus laboribus omnium mundi iniquitatum eluvionem. Autores Regii ac recentis Commentarii Gě Kiam, quorum expositionem huic paragrapho subjunxi, multùm serviet ad genuinum ejus sensum intelligendum: quem certo ad felicitatem æternam spectare vel ex eo manifeste patet, quod hi expositores sub finem concludant utramque infallibiliter iuxta singulorum merita à cælo rependi et esse regulam certissimam ad exhortandos efficaciter homines ad faciendum bonum, et declinandum a malo. Quod utrumque minime convenire potest

convenire potest bonis et malis temporalibus, quæ veluti sine discrimine utrisque rependi videntur, et quæ non satis habent soliditatis et vigoris ad deterrendos aut alliciendos animos.

10\. Diversi characteres Sinici evidenter declarant virum Sanctum Sinarum esse verum Deum, et ipsum Messiam Christianorum

Post tam multiplicem de Sancto viro Sinarum disquisitionem, dubitari vix potest hunc eumdem plane esse ac Christum Dominum verum Deum, et hominem. Nihilominus ad pleniorem hujus, quæ tanti momenti est, veritatis elucidationem, juvat haec ex diversis characterismis hanc plenius manifestantibus, ulterius explanare.

Cum ergo tanti semper ponderis extiterit apud veteres Sinas sacra illius viri Sancti persona, ideo liber Chum yum, post cognitionem Dei, in primis commendat illius notitiam. Et cùm vetera monumenta Deum figurate vocent Cælum; idcirco Dei Filium unigenitum incarnandum et humanæ naturæ uniendum passim appellant Tien çù cæli Filium. Hinc Chuam çù de hoc disserens ait, qui conciliat Cælum seu Deum cum populo est vir ille sanctus, et quem Deus (Cælum) adjuvat, is vocatur cæli, hoc est Dei Filius. Similiter liber Ji Ki piao ait, hunc solum cæli Filium accepisse mandatum à suo Patre (nempe de reparando, et regendo mundo). Alter Philosophus inter veteres non parvæ autoritatis prædicans viri Sancti excellentiam, hunc vocat cæli Filium, atque hunc inter homines unicum esse verè fortunatum ac virtute præditum, adeoque eum unicum posse esse ~~[illegible]~~ fulcimen omnium populorum.

Alii Autores unionem hypostaticam duarum naturarum, nempe cælestis, seu Divinæ cum humanâ, virum sanctum nominant Tien gin cælestem hominem, hoc est hominem Deum. Hinc Autor præfationis libri::: ait, qui incumbunt studio sapientiæ, hoc unico anguntur, quod non possint clare cognoscere cælestem virum, duas naturas sub unica persona complectentem. Philosophus Chuam çù de eodem disserens sic loquitur: homo qui non habet hominis defectus (puta peccatum originale etc.) est homo Deus Tien gin; etiam si habeat veram speciem hominis, nihilominus est Deus Tien, seu naturæ cælestis et Divinæ:: natura Divina unita naturæ humanæ (Tien gin hô yě) vocatur chin gin verus homo, chin chí verè sapiens. Cujus mysterii profunditatem attingens Lao çù hunc chin gin verum hominem eum esse, qui est cælo, seu ipsi Deo æqualis, nempe ob unionem hypostaticam.

Expositio libri Sie çù eumdem virum sanctum in persona supremi Imperatoris Hiu va xe vocat xîn gîn, spiritum et hominem, hoc est Deum hominem. At Chuam çù hunc simul vocat Tien gin, xîn gîn, et chí gin, hoc est virum infinite perfectum etc. Lao çù jam supra citatus, et in mysteriis profundioribus, cæteris longè præcellens, vocat insuper virum Sanctum Kiě gîn hominem admirabilem et Deo æqualem, Kh pan yù Tien; et ut ait Expositor, diversissimum a cæteris hominibus, et Deo parem etc. Quei cù çù de eodem dicit quod sit omnium viventium primus, seu antiquissimus, atque adeo ipsius vitæ Autor, Chúm sem chī sién.

Liber Lún yu, qui hunc vocat virum sanctum, ait, cor Divinum residere in ejus pectore, Dei verba in ejus ore, atque adeo nisi vir ille sanctus veniat in mundum, homines non posse consequi veram Dei notitiam. Vetus quædam traditio sub hoc titulo, Chao sin tu guei, loquitur de viro sancto, sicut nos de Christo, aitque hunc esse adeo sublimem, ac profundum in suis sermonibus, ut humani ingenii vires non possint eos percipere: hunc Divina virtute convertere homines: unum nosse rerum veritatem, et futura prævidere etc.

Author Speculi l. 2. c. 20. ait: Confucius in libris suis ~~instruit~~ innuit, Sanctum in terra occidentis quærendum esse; intellige in Jerusalem et Romæ, quæ sunt occidentales respectu Sinarum.

Chuam çù ait tempus adventus seu nativitatis viri Sancti illud esse cùm lex cælestis seu Divina cæperit in toto orbe prorsus deficiendo aboleri: ejusdem vero restitutionem, atque observationem esse opus ejusdem viri Sancti. Etiamsi veteres traditiones ferant Kim sim, seu stellam Epiphaniæ, florem cælestem, melleum, fontem salutis promanantem, apparitionem Fum hoam, seu phœnicis Sinicæ, tanquam signa certa adventus viri Sancti, eaque omnia ad Regnum Regis yao referant, nihilominus cùm liber Chum yum tantæ apud Sinas autoritatis expresse ferat, viri Sancti adventum expectari per centum generationes, seu tria annorum millia, et ipse Confucius gemens quod ejus legis observatio non posset a se introduci; discipulos suos hac spe solaretur, hanc nimirum admittendam, et observandam in mundo, cùm vir sanctus advenisset, Tai Ki gin, Ih heú him, manifeste sequitur Regem yao, et alios ejusmodi Sinici chronici Sanctos heroes, non fuisse veros viros Sanctos à Sinis expectatos, sed tantum veluti quasdam unius viri Sancti figuras. Idque confirmatur ex veteri traditione, quæ legitur in Libro Lie çù ferente viri Sancti adventum non in Sinis, sed extra in plaga mundi occidentali futurum Sí fam yeù Xím gîn.

Philosophus modernus Xao pe yun e Dynastia Sum ait, virum Sanctum in sua persona ~~venire~~ unire cælum et terram, hoc est naturam Divinam et humanam, et esse caput omnium hominum, unum et idem corpus morale cum ipso componentium: hunc velle omnes liberare et neminem

neminem rejicere, et esse omnipotentem. Etsi hic sensus iuxta phrasim Sinicam sit connaturalis et satis sincerus, fateor tamen mentem illius Philosophi ab hoc sensu fuisse valdè diversam, eumque Divinis his expressionibus crassiori minerva usum esse.

Multò rectius vetus Philosophus Chuam çù sensisse et locutus esse videtur, cùm ait, eos qui per observationem legis cœlestis fiunt veri Dei discipuli, hunc favorem à cœlo obtinere, ut cum ipso cœli filio fiant cœli filii, hoc est filii ejusdem Patris, ac Dei cœli Filius.

Hic exponere non aggredear reconditum præ cæteris sensum illarum Sinicarum traditionum, quæ videntur pertinere tam ad novum, et verum tabernaculum novæ legis, quod fixit Deus, et non homo, quàm ad victimam sempiternam, seu Agnum immaculatum, qui occisus est ab origine mundi, et ad æternum Pontificem nostrum, qui cùm sit natura sua Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior cœlis factus, tanquam mediator novi testamenti, sedet in dextera Dei, non solum seipsum perpetuò offerens et interpellans pro nobis; sed etiam se totum tradens peccatoribus, vult per ipsorum manus ubique et quotidie offerri in hostiam suavis odoris pro omnium peccatis. Hujus porro Divini ac reconditi sensus vestigia non obscura facilè spero, deprehendentur in aliquot textibus Sinicis de Heu çiě hic à me allegatis; maximè ab his, qui ejusmodi perscrutationibus jam longiori studio assueverunt: quare hic concludo quartam Sectionem præsentis §i., quæ cùm præcipuum statum mundi complectatur, non minorem desiderabat prolixitatem.

Sectio 5a.

Idea generalis triplicis mundi status, qualis intelligitur ex principiis Libri yě Kim et fuit approbata ab Imperatore.

Quamvis nihil sit in universo orbe, ad quod non se extendat Libri yě Kim doctrina, nihilominus post longam ejus principiorum disquisitionem, Deo supra spem debilitatem meam adjuvante, mihi videor cum plena evidentia percepisse, hanc omnino reduci ad mundum anteriorem, et mundum posteriorem, ut vulgò loquuntur omnes Sinæ Philosophi, seu potius ad triplicem mundi statum supra in triplici Sectione expositum. Atque id manifestè patet ex hoc textu vetustæ traditionis dictæ yě chuén allegatæ ad marginem: hoc est doctrina Libri yě Kim, quantumvis latè pateat, nihil aliud continet, quam triplicem legem, nempe cœlestem, humanam, et terrestrem, quæ tres leges inter duos cœli anterioris, et cœli posterioris terminos continentur, et videntur accuratissimè respondere triplici mundi statui antea exposito, nimirum naturæ integræ corruptæ et reparatæ.

Quæ yě Kim traditionis textus expositio clarè confirmatur ex antiquo Commentario libri yě Kim dicto Chim y ferente librum yě Kim, etsi unicum, continere tamen sensum triplicem, quorum primus involuit ideam facilitatis ~~characteristicæ~~ secundus ideam mutationis, et tertius ideam immutabilitatis et consistentiæ. Idea facilitatis characteristica primi sensûs videtur citra dubium pertinere ad primum mundi statum, in quo creaturæ intelligenti, utpote præditæ justitiâ originali exercitium virtutis, et viâ ad cœlestem beatitudinem erant facillima. Idea verò mutationis, seu corruptionis characteristica secundi sensûs, designat secundum mundi statum, in quo Angelorum Deo rebellium, et primorum Parentum corde per inobedientiam corrupto, perfectio et facilitas primi statûs planè est immutata. Denique idea immutabilitatis et consistentiæ characteristica tertii sensûs videtur omninò referenda ad tertium mundi statum, in quo, mundo per virum virtute Divinâ præditum reparato, omnes homines sive boni, sive mali, convenientem sibi locum obtinebunt, et singuli meritis suis debita præmia æternum consequen~~tur~~tur; illis scilicet ~~suum~~ Divinum Redemptorem, cujus vocem audierunt, in cœlestem gloriam sequentibus; his verò Sathanam seductorem, a quo se deludi passi sunt, in gehenam et tenebras sempiternas ~~comitantibus~~ concomitantibus, quâ futâ Justorum et reproborum secutione, tenebræ et lumen æternùm dividentur, et mundus ita perstabit sine ulla mutatione.

Hæc prædicti textûs yě Kim explanatio præterea confirmatur cum maxima claritate et elegantia ex hoc triplici Hieroglyphico Symbolico Tién ti gîn haud dubiè ab ipso Auctore libri yě Kim Hieroglyphicæ artis vero Inventore ad præsentem usque ætatem transmissæ, et triplicem mundi statum, eorumque inter se diversitatem, brevissimo æquè ac ingenioso, ne dicam divino, compendio repræsentante. Quis enim in primo Hieroglypho, characterem Tién cœli proprium, pictum in orbe lucido continente, non statim agnoscat Tién Taó, seu legem cœlestem libri yě Kim propriam primi mundi statûs, in quo crea-

天

in quo creaturæ intelligenti, sive Angelicæ sive humanæ justitia originali præditæ de Divino lumine perfusa, facillimum erat semper fovere suam virtutem in perfecta claritate, et sic cœlesti legi inhærendo ad lumen cœlestis gloriæ pervenire.

地

Quis pariter in secundo hieroglypho, characterem Ti, terræ proprium pictum in orbe tenebroso exhibente, non clarissimè percipiat Ti taó, seu legem terrestrem libri yě Kim, propriam secundi mundi statûs, in quo Lucifer et Primi Parentes, rationis cœlestis lumine in se extincto, naturam purè terrestrem induentes, adversus Deum Creatorem suum infando facinore rebellarunt, æternùm sese mortis et inferni tenebris mancipantes.

人

Quis denique in tertio hieroglypho characterem Gîn hominis proprium in orbe partim lucido, partim tenebroso pictum habente, non rectè intueatur gîn taó, seu legem humanam libri yě Kim propriam tertii mundi statûs, in quo scilicet toto genere humano velùti in duas phalanges, nempe Proborum ad dexteram, et reproborum ad sinistram diviso: probi, qui viro Sancto ac Divino Redemptori cœlestis legis Restitutori constanter adhæserunt, cœlestis luminis gloriæ cum illo æternùm erunt participes: reprobi vero, qui dæmonem principem tenebrarum secuti sunt, cum ipso, eodem Divino Redemptore Judice ~~x~~ decernente, in gehennam et tenebras sempiternas compingentur.

Hæc porro est brevis ac generalis idea, ad quam censui revocandam totam doctrinam Libri yě Kim, quam cum pluris diversimodè expressam obtulerim Imperatori inter Doctores Imperii optimo Judici, hanc tandem anno præterito in Tartaria, quò me ire jusserat, post serium examen Regio suo suffragio approbavit. Hinc inferre poterunt æqui ac prudentes rerum æstimatores, quantò faciliùs hanc tanti ponderis approbationem consecutus fuissem, si licuisset per Superiores meos illi exponere singillatim ex Sinicis traditionibus supra in triplici Sectione allegatis, triplicem hunc mundi statum naturæ integræ, corruptæ, et reparatæ. et quantum nunc emolumentum Lex Christiana posset ex ea colligere?

Hunc mihi petenda venia pro nimia prolixitate hujus Paragraphi, quem duabus aut tribus paginis absoluissem, nisi præter Adversarii confutandi consilium, mihi ex occasione ortum esset desiderium eadem opera exponendi præcipuas rationes et fundamenta, quibus nititur Sacrum Religionis systema, quod mihi vide~~o~~r deprehendisse in libris Sinicis, eaque subjiciendi examini et judicio, non tantum meorum Superiorum, sed etiam eorum omnium, qui longiorem et feliciorem operam in studio librorum Sinicorum impenderint.

§. IX. Hic expenditur

9a. Propositio. An probabile sit, unum aut plures homines in Sacris Paginis non nominatos, sed ex prædictis libris gentilium notos esse figuram Messiæ futuri?

~~Ad hanc quæstionem Censor n~~

Ad hanc quæstionem Censor noster pro more suo respondet negativè; eam propositionem damnans ut periculosam. Contra quod illud occurrit 1o. observandum, innumeras traditiones sacras, continentes certas Messiæ futuri figuras, a primis Patriarchis post diluvium transmissas paulatim interiisse apud ipsosmet Judæos, neque omnes fuisse in Sacris Hebræorum paginis commemoratas. cujus veritatis testes esse possunt non solum quidam libri Sacri, quorum Moyses mentionem fecit in Pentateucho, sed etiam libri Sancti Patriarchæ Henochi. Quod si ita est, et Sinarum libri verè habuerunt illam sacram originem, quam ipsis antea tribuimus, quid vetat aliquas Messiæ figuras in Sacris Paginis non consignatas, reperiri posse in vetustissimis Sinarum monumentis.

Observandum 2o. etiamsi in dictis monumentis non possent reperiri ullæ veræ figuræ Messiæ futuri strictè et propriè dictæ, nihil prohibere quominus citra ullum periculum dici possit (ut reverà audemus dicere post doctissimos quosque è Missionariis, qui nos antecesserunt) in iis alias reperiri figuras minus propriè dictas, qualis est v.gr. illa inter cæteras celeberrima, quam Missionarii Pekinenses ante dimidium seculum ad tuendam Sanctam legem contra Yam quam sien ejus hostem infensissimum Regio Magnatum hujus Aulæ Concilio proposuerunt in persona veteris Imperatoris Chim tam olim se Deo in victimam pro peccatis omnium populorum devoventis; tanquam similitudinem seu figuram Christi in cruce mortem sponte obeuntis pro totius mundi salute; quæ quidem tunc temporis universali cùm gentilium tum Missionariorum consensu non solum comprobata est, sed etiam annis ex inde sequentibus cum felicissimo successu constanter adhibita est ad suadendum gentilibus Sinis hoc Divinum Mysterium creditu tam difficile, et quod alioquin iis mera stultitia videretur.

Ejusmodi similitudine, seu figura Christi Messiæ, quoad dogma omnium creditu difficillimum tam unanimiter et solemniter stabilita: quidni, si in libris Sinicis aliæ ejusdem generis similitu-

similitudines reperiantur, quæ non minus Christo Messiæ congruant quoad alia dogmata; qualis est v. gr. similitudo eorum, quæ narrantur de prodigiosa conceptione et natiuitate Heu çie, cum Incarnatione et Natiuitate Filij Dei. Quidni, inquam, istæ pari jure adhiberi possint tanquam figuræ æquè aptæ ad persuadendum id quod videtur creditu difficilius in illis dogmatibus, cum quibus videntur similem habere congruentiam.

Sed quoniam ad hoc argumentum deuenimus, cum ex præcedenti §°, ubi tam diuersas exhibuimus, non solum Messiæ futuri, sed etiam Luciferi et cæterorum rebellium Angelorũ, nec non primorum Parentum similitudines, aut figuras è traditionibus Sinicis excerptas; jam palàm fiat veteres Sinarum libros verè refertos esse ejusmodi figuris symbolicis, operæ pretium videtur fore si hîc aliquid adjungamus de eorum sensu allegorico et figurato, sub quo sacrum et profundum totius veteris doctrinæ sensum latere constat, non meo tantum, et aliquot aliorum Missionariorum judicio, qui id meum proprio labore jam à multis annis clarissimè explorauerunt; sed etiam iuxta sententiam sagaciorum criticorum inter Sinas, quorum aliquot selecta testimonia à me allegata sunt in capite quaternionis Sinici hîc adjuncti. Satis sit proferre unum aut alterum. Primum sit Expositoris libri Huam çù sensum librorum Sinicorum continentis, qui in sua præfatione ait: plusquam centum millia locutionum figuratarum reperiri in hoc libro. Alterum sit Auctoris libri Kì mùm, qui disserens de libro yĕ Kim, qui est fons genuinus totius veteris sapientiæ Sinicæ, nec non artis hieroglyphicæ et symbolicæ parens universalis; ait omnes hujus libri dictiones esse allegoricas, et figuratas. Unde manifestè intelligitur, hujus et cæterorum librorum canonicorum intelligentiam à bis mille et amplius annis planè amissam esse: eâ præcipuè de causâ, quod sensu allegorico et figurato paulatim neglecto ac veluti eliminato, litterari tantum ac obuio, et corticali sensui inhæserunt, quem ubi cœperint Sinæ deserere, ut allegoricum et figuratum in ejus locum substituant, statim aduertent fore ut pristinæ doctrinæ sacra puritas reuiuiscens, tandiu occultos luminis sui radios quaqua versum latè diffundat.

Sed jam abundè demonstratum videtur ex variis exemplis, è principio veteris chronici excerptis in antecedenti §° expositis, quæ rem iuxta obuium et corticalem sensum expectando, licet complecti videantur gesta innumerorum Principum è variis Dynastijs per plures millenorum annorum decades; si tamen allegoricè et symbolicè spectentur, reuocenturq́ ad generalem et germanam ideam quinq supremorum Imperatorum Uti, et trium præcipuorum Monarcharum San hoam, et demum unicum Puon cù, omnium in capite memoratum, iuxta genuinum sensum, quem sanior et sagacior pars criticorum à me in principio quaternionis citatorum, omnibus et singulis ijs Monarchis attribuunt; et quos ex ipsorum testimonijs patet non fuisse diuersos Principes,✠ sed unicum et eundem supremum totius mundi Monarcham et Gubernatorem Deum (Xam ti), sub diuersis Regum nominibus aut figuris diuersas ejus diuinas dotes et virtutes exprimentibus. Ad quem sacrum et legitimum veteris chronici sensum ~~allegoricum~~ Sinæ omnes tanto faciliùs adduci posse videntur, quod illam Annalium suorum partem meris fabulis refertam esse existimant.

✠ Hoc recens confirmatum est præclaro testimonio Li quam si Colao, seu Imperij Administri, in libello Impᵗⁱ oblato, quo disertis verbis approbat rationem nuper a me Suæ Majᵗⁱ expositam explanandi sensum genuinum fabularum veteris chronici. Hoc tanti viri testimonium additum est circa finem Quaternionis Sinici hîc adjuncti.

Sed cum idem sentiant de sequentibus temporibus; nec nisi tanquam historica spectent quæcumq in libro Xu Kim, et alijs libris narrantur à tempore Regum yao xun, et yu &c. parum admodum, aut nihil omnino attendentes ad sensum allegoricum et figuratum horum librorum, hoc est ad cœlestem et Diuinam doctrinam, quæ dictos libros facit sacros et canonicos Kim, iuxta communem omnium sensum (consulantur testimonia allegata in principio quaternionis Sinici) ut demonstremus Sinas pariter facilè adduci posse ad considerationem sensus allegorici, etiam eorum, quæ referuntur in antiqua traditione à temporibus ipsorum Regum yao xun et yu: et eâ viâ ad percipiendas præcipuas Religionis Christianæ veritates; hîc experiendi gratia juuabit unum exemplum proponere è libro Xu Kim, cujus prolixa integritas, et congruentia continua sensus perfectè allegorici, conuincet, spero prudentes rerum æstimatores, id à nobis non per vim, et temerè tentatum esse.

Exemplum hîc a me selectum est clades Diluuij generalis virtute magni yu reparata; quod præclarè factum, quamuis vulgò à Sinis habeatur pro indubitata historia, nihilominus quidam inter Doctores Sinicos, qui rem ad seuerioris criticæ normam reuocaunt, ea funditus examinata, ritè aduertentes illius diluuij formam, qualis constanti traditione descripta est, hoc est aquis vniversam orbis faciem tegentibus, solo montium et rupium celsiorum cacumine extra prominentibus, nullis humanis viribus potuisse reparari: præterea uero rationes geographicas, post completum reparationis opus, ibi singillatim deductas, longissimè dispissare a rationibus Geographicis soli Imperij Sinici; affirmare non dubitarunt narratio-

Horum criticorum testimonia reperies circa finem Quaternionis Sinici hîc adjuncti.

narrationem hanc prodigiosi illius facinoris, omnino non posse nec debere accipi iuxta sensum historicum, sed spectari debere tanquam præclaram allegoriam, seu doctrinam hominum mores, seu mundi reformandi rationem sub hac descriptione figatè adumbratam; quam veram mundi reparationem per solum Christum Messiam consumandam, cum soli Christiani ritè nouerint, certè pertinet ad Missionarios, hanc vel ipsos Sinarum Magistros docere, atq ipsis explanare sensum sacrum et genuinum sub illa narratione allegorica libri Xu Kim contentum; quod non videtur valdè difficile, ut paucis indicabo.

Si spectes illius diluuij originem, quam liber Xu Kim tribuit inertiæ illius Hoen, quem in superiori §° exhibuimus tanquam similitudinem aut figuram Adam præuaricatoris. Hanc Philosophus Hoai nan çù primariò refundit in Tyrannum Cum cum, quem ibidem clarissimè demonstrauimus esse genuinam ipsius Luciferi figuram; quis uel ex eo non manifestè colligat diluuium, de quo ibi agitur esse planè diuersum à diluuio Noetico, mereq́ allegoricum, et nihil aliud esse præter diluuium omnis generis vitiorum, quæ faciem orbis vniversi ueluti aquis submersit, ex quo Lucifer et primus generis humani Parens in cœlo et in terra iniquitatis cataractas ueluti inito fœdere aperuerunt.

Si uerò hujus diluuij formam consideres, ut patet in libro Xan hai Kim, ubi innumeris allegoricis, et emblematicis figuris fusè describitur facies mundi corrupti per peccatum veluti aquis undequaq submersi, solis montium et rupium altiorum cacuminibus extra prominentibus, et per innumeros dæmones varijs monstrorum figuris adumbratos occupatis sub dominio vniversali unius tigrydis ferocissimi humano vultu cum nouem caudis (quem constat ex libro yĕ Kim præcipuam esse figuram Sathanæ) tanquam totius mundi inferioris supremo Numine: hominibus paucissimis per illos scopulos innumeris periculis subpositis, et huic tyrannico dominio subjectis: quomodo fieri potest, ut in hac diluuij forma, non aliam, quam diluuij verè physici Noetici formam agnoscas.

Quis in sollicitudine Sanctissimi et optimi Imperatoris yao mundi uniuersi cladi remedium quærentis, et propositam ei operam Cum✠ cum, et Hoen✠ tanquam imparem respuentis, totumq opus demandantis unico Xun× dignissimo successori suo: quis, inquam, in hoc non agnoscat sapientiam infinitam, et misericordiam ineffabilem Dei Patris veluti sollicitè, et efficaciter Redemptionem generis humani decernentis tanquam opus excedens vires Angelicas et humanas, et ejus curam æterno et Unigenito Filio suo demandantis.

✠ Cum cum caput Angelorum

✠ Hoen, caput generis humani

× Xun figura Messiæ, seu Tien çu Filij Dei incarnandi.

Quis in laboribus inenarrabilibus, quibus indefessè per multos annos defunctus est magnus yu, ad opus Redemptionis mundi (ab aquis) assumptus ab ipso Xun, siue aquas per alueos diriuando, siue montium cacumina deprimendo, siue vallium profundo exaltando, siue obliqua et aspera coæquando, uel arundineta et spinosa exurendo, uel faciem vniuersi ab omni monstrorum et ferarum genere purgando, eamq ubiq renouando, et ad agriculturam facilem, et nouum semen recipiendum idoneam reddendo: quis, inquam, in tanta, et tam utili toti generi humano laborum diuersitate, non agnoscat, veluti Diuino, et prophetico spiritu adumbratos sanctos et infinitos labores, quos sacra Christi Redemptoris humanitas libens et indefessè per tam multos annos sustinuit pro reparatione et renouatione mundi.

Quis insuper in detrusione cum cum in yeu cheu, seu Prouinciam tenebrarum, et Hoen in yŏ xan, non agnoscat supplicium, seu reprobationem Luciferi in inferni abyssum projecti, et Adami exilij in limbum. quin in Hum fan seu lege cœlitus magno yu tradita, non agnoscat legem sanctam Christi a suo Patre acceptam pro reformatione, et renouatione totius generis humani. Quis deniq in nouem illis Tim mysticis a magno yu fusis et destinatis ad parandas toto orbe sacras epulas cœlestis felicitatis, quis non intueatur templa et sacrificium nouæ legis Christi virtute ubiq terrarum erecta et erigenda pro conciliando toti generi humano infinito Diuinæ gratiæ in terra, et in cœlo æternæ salutis beneficio.

In fine quaternionis Sinici lector reperiet traditiones Sinicas ad opus magni yu spectantes.

Hæc delibasse sufficiat circa sensum allegoricum libri Xu Kim, cujus alia præcipua loca videntur cum eadem facilitate et congruentia posse applicari sacræ Christianæ legis doctrinæ

§. X. Hîc expenditur

1ª Propositio: An probabile sit Animam Christi fuisse creatam

Ad hanc propositionem (quam licet × (ab initio.) × ordine 1ᵃᵐ in scripto nostri Censoris, et ab eo uehementius oppugnatam, hîc sub finem rejecimus, cum nec ad sacrum Sinicæ doctrinæ systema exponendum necessaria videatur, nec à me unquam affirmando proposita fuerit) Aduersarius noster respondet negatiuè, dicendo, hanc non posse defendi sine suspicione erroris circa fidem. Hanc suam decisionem sibi videtur inuincibiliter stabilire ex eo, quod, uti ait, uniuersim et sine exceptione difinitum est contra Originem omnes animas creari eo momento, quo corporibus infunduntur. Et ne quis existimet inter has non comprehendi Animam Christi, adducit auctoritatem S. Thom.

S. Thom. affirmantis reuera comprehendi.

Sed contra hoc opponi posse videtur id, quod legitur in Epitome Annalium Ecclesiasticorum ad an. 415. scilicet quaestionem hanc non solum visam esse Augustino, Hieronymo, et Greg.° Theologo perdifficilem; sed etiam quod magis mireris eadem adhuc Gregorij Magni Papae temporibus adeò indecisa remanserat, ut, nequid de ea definiendum esset, ausus sit proferre. Porro in sententiam Hieronymi Sancta Ecclesia visa est propensior, rata easdem animas recens à Deo creari, et infundi corporibus.

Quamvis autem certò constaret de supra dicta definitione contra Originem quoad collectionem omnium animarum, quas existimabat ab initio in coelo creatas, et sicut Angelos peccasse: nihilominus longe probabilius videtur Animam Christi non debuisse in hoc numero comprehendi; sicuti cum definitum est omnes filios Adami reos esse noxae peccati Originalis, Ecclesia postea declarauit, se in hoc numero non comprehendere Beatissimam Virginem ob ejus praerogativas, et mirabilem prae caeteris excellentiam.

Cum ergo neq. ex dicta contra Originem definitione, neq. ex alia qualibet hûc notatâ, quicquam certi concludi possit contra quaestionem ante aliquot annos non nisi dubitando motam de creatione Animae Christi ab initio mundi ante omnes alias creaturas: et ea opinio non sit necessaria ad exponendum Sacrum Sinicae doctrinae Systema; censenda est à praesenti controversia prorsus aliena, neq. huic expendendae videtur diutius immorandum: satius erit majorem ac certiorem ejus elucidationem expectare ex Europa, quò pluribus jam ab hinc annis scripsi, seriò et enixè rogando ut per Theologos primae notae diligenter discuteretur, et si quae occurreret Ecclesiae definitio huic contraria, huc ad nos rescriberetur.

§. XI.ᵘˢ Hic expenditur

Ultima seu 10.ᵃ Propositio: An dato, et non concesso, quod probabile sit Propositiones supra relatas reperiri in praedictis libris, expediat illas proponere gentilibus, qui ad Christianam Fidem conuertendi sunt?

Ad hanc quaestionem Censor respondet negatiuè, dicens summum subesse Religionis ridendae, et despiciendae periculum; unde concludit omnino non expedire, nec debere propositiones supra relatas gentilibus proponere.

Sed quoniam supra ostendi, praedictas propositiones esse quoad multa parùm conformes meae circa doctrinam librorum Sinicorum sententiae; et eas si ad meum sensum reducantur, uerè reperiri in libris Sinicis etiam plenissima euidentia: Lector videtur citra dubium debere aduersus Censorem nostrum concludere, non solum plane expedire, ut proponantur Gentibus Sinis modo competente; sed etiam velle huic consilio aliquem obicem afferre, idem esse ac velle veritatem Dei manifestam in injustitia detinere.

Et uerò cum tam multis, et tam perspicuis Sinarum Traditionibus hîc fuse deductis, jam luce meridianâ clarius pateat, praecipuas Christianae Religionis veritates, in antiquis Sinarum libris, multiplici modo, et exquisitè expressas contineri, qualia sunt in primis dogmata sacra Dei existentiae, Sanctissimae Trinitatis, creationis mundi, rebellionis Angelorum, inobedientiae primorum Parentum, corruptionis totius generis humani, Incarnationis Filij Dei, Aduentûs, et Natiuitatis Christi Messiae, Redemptionis generis humani, praemij aeterni decreti meritis Justorum et reproborum &c. Quis jam audeat affirmare illicitum esse has traditiones Sinis Gentilibus proponere ad eos conuertendos?

At etiam si inter Missionarios, etiam in librorum Sinicorum lectione satis versatos, aliqui reperirentur, qui lectis omnibus textibus circa singula haec sacra dogmata in Quaternione Sinico exaratis; ijsq. studiosè collatis cum sensu Christiano, quem ijs attribuimus, longè aliter ac nos de ijs existimandum sentiret, quales non facilè reperiendos existimo; certè illorum auctoritas nullo jure praeponderare debet eorum auctoritati, qui post diutius et diligentius librorum Sinicorum studium, veterum Missionariorum methodo et vestigijs religiosè inhaerendo sibi videntur in ijs plena cum euidentia percepisse, pleraq., ne dicam omnia, Religionis Christianae mysteria.

Quae cum ita sint, si qui deinceps, nequi exoriantur aduersarij, qui maiorem librorum Sinicorum intelligentiam profitendo, quàm Auctor Scripti, contra quem paraui hoc responsum, secundum legitimam decertationis formam aggrediantur confutationem sensûs Christiani

Christiani à me attributi veteri Sinarum doctrinae: audeo dicere, cùm in hac controuersia, sicut in antiquis, agatur de legitimo librorum Sinicorum sensu, cujus Roma ipsa post tam multorum annorum examen, non audet se Judicem constituere; et cujus judicium reuera pertinet ad ipsos Doctores Sinicos, atq. in primis ad Imperatorem. Hinc manifestum fit hanc nouam litem non posse decidi ab ipsis Europaeis, sed super ea necessario consulendos Sinas et supra omnes Imperatorem; qui cum jam ideam triplicis mundi status, siue naturae integrae, corruptae, et reparatae iuxta sacrum legis Xtianae sensum antea ipsi a mè ex libris Sinicis expositam, post longum et serium examen anno praeterito Regio suo suffragio comprobauerit: hoc certè affert maximam auctoritatem nostrae sententiae contra futurorum aduersariorum opinionem; multumq. in me adauget pondus Diuini Praecepti a Xto Dno mittente Apostolos in dispersionem gentium omnibus Ministris Euangelicis impositi,* quo me nunc grauissimè, et indeclinabiliter premi sentio Sacra Xtianae legis dogmata Sinis Gentilibus per suas traditiones exponendi, ne veritas Dei in injustitia diutius detineatur, post felicissimam supra 8um, quam nunc habeo, hujus Diuinae methodi experientiam.

Neq. nunc quisquam è nostris contra hoc videtur posse ire inficias, quin manifestè faueat parti Aduersariorum Societatis nostrae quoad antiquas controuersias, et multum detrahat ponderis sententiae et praxi nostrorum Missionariorum.

* Euntes in mundum vniuersum praedicate Euangelium omni creaturae. Marc. 16. Euntes ergò docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti. Math. 28.